



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723

VD18 80217931

Consultatio VI. De cœcitate Judæorum, & omnium eorum, qui non credunt
adventum Christi Jesu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45509

Pſalm. 38.
v. 13.

Nec unicus est, qui singulis momentis suum non prosequatur iter, tendatque incessanter ad terminum communem, æquali ratione finientem omnium vitam hominum, quantumvis vias ambulent valde diversas, unusquisque juxta consilia, vota & affectus suos particulares, à quibus trahuntur, quin & rapiuntur in diversa. Accidit fermè multitudini hominum, quòd innumeris illis confusè vagantibus in aère atomis, quos levis concitat motus, congregat & separat, conjungit & dividit, commiscet & distinguit perpetuò agitatione inordinatà, quæ finem non habet.

Homines
commiscen-
tur in terra,
sicut atomi in
aère.

Si quilibet homo in particulari consideraret cursum vitæ suæ & ponderaret, quot millenos in medio tot aliorum hominum fecerit motus inordinatos atomorum, vadens & veniens, abiens & rediens inter multitudinem sodalium, quorum unus nesciat, quò vadat alter, nec de quo cogitet, nec quid desideret; & quoties ex inopinato sese adjunxerit alicui societati certo conclusæ numero, qui modò sit auctus, modò imminutus, & postea omninò dissipatus; quot insuper sese conjunxerit aliis, quos etiam jam deseruerit, abs eo, quod amplius sciat, quò devenerint primi, quibus familiariter utebatur; sicut & hi ex parte sua ignorant, quid acciderit ipsi, quæve usus

fuert sorte: Bone Deus! quot motus, quot circumagitationes, quot mutationes continuas videre esset vitæ humanæ, ubi omnes homines quasi nunquam geminatâ vice in eodem reperiuntur statu! Cùm interim magnus ille providentiæ Patris cœlestis oculus hæc omnia fixo aspiciat intuitu, eaque certis ac infallibilibus dirigat legibus ac regulis, quæ infallibiliter sua in opus deducant consilia, quæ in æternitate sua super quemlibet formavit hominum!

Affirmo hac occasione nostri itineris, ubi providentia Dei, postquam nos ejusmodi homines conjunxerat simul, quibus omnes præcedentes Consultationes poterant esse utilitati, nos tandem separavit ab invicem, ob diversa, quæ quilibet capiebat consilia, quibus in omnem dividebamur terram, nisi quod noster Ecclesiasticus & ego manserimus simul ab invicem inseparabiles. Sed non diuturno tempore perstitimus soli: Nam secundo die occurrerunt nobis in via duo alii, quos primitus credideramus esse mercatores aut viros negotiis occupatos: ipsorum physiognomia gravis & paulisper severa, ipsorum colloquium valde serium, cui ambo defixâ intendebant mente, nos ita fecerat judicare: hinc non absque difficultate induximus
ani-

animum congregandi cum illis; nihilominus invenimus ipsos fati affabiles, satisque benevolos in nostra acceptanda conversatione, quamvis repugnantiam sentire debuissent in illa; invenimus enim quantocyus ipsos non esse, quos credebamus.

Fortuitus occursum duorum Rabbiorum, qui praebebant materiam Consultationi, Erant duo Judæi, & duo ex illis, qui nuncupantur inter ipsos Rabbini vel Legis Doctores, deplorantes inter se infelicitatem Synagogæ suæ, quæ plurimum sæculorum decursu tantis à DEO locupletata favoribus, ut præcipue videretur cordi habere illam divina ipsius providentia, quæ que tantis è cælo repleta beneficiis, ut cunctorum adversum se ciceret invidiam populorum, jam sese contemptam lugebat, & cæterorum hominum expositam persecutioni ac odio: quasi ipsi, postquam elevati fuerant supra conditionem humanam, indignos sese reddiderint tenere locum inter homines, à quibus pejus, quàm bestia ipsæ exciperentur.

Breve compendium miserii status modernis Judæorum. Desuper admodum prolixè, quasi commovere nos vellent ad compassionem, expoluerunt nobis miserabilem statum suum, quem modò tenebant; quòd nimirum in universo orbe, nullo sibi stare liceret loco, ubi vivere & frui possent libertate; quòd ubi vis locorum haberentur omnes velut mancipia; quòd alibi

abscondere se cogantur sub nomine & specie alterius populi, velut serpentes, quibus non liceat prodire in lucem, ne lapidibus fortè obruantur; quòd suavissimam sibi videantur possidere conditionem, quando quempiam invenire poterunt angulum, ubi carò sibi emere permissum sit libertatem vivendi, respirandi aërem, & ambulandi super terram cum cæteris hominibus; quòd indigni habeantur, qui possideant in aliqua mundi parte, vel tantillum fundi sibi proprium, ubi suum figere possint pedem tempore vitæ, & sua abscondere corpora post mortem; quòdque totius mundi sustineant persecutionem, quasi publici universæ naturæ humanæ forent inimici.

Sed quò maximè affligebantur, esse, quòd nullum quasi amplius appareat vestigium antiquæ illius majestatis, quæ sua olim refulgebat religio; quòd nihil amplius videre sit magnifici illius templi, Altarium, Sacrificiorum, Prophetarum, Pontificum, caeremoniarum; & tandem nihil quasi amplius, quòd videri posset remansisse è Religione illa omninò sancta, quàm Patres sui acceperant à Deo, quàmque hucusque tot sæculis sartam tectam magnà conservaverant cum veneratione. Hæc miseriarum, quas admodum affectuose quamvis breviter nobis recensebant, syllabus

Y

nos

mos aliquâ tangebatur compassione; hinc charitas boni nostri Ecclesiastici exstimulabat ipsum ad interpellandum illos, & ostenden-

dum eis, quod manifestum ex hoc ipso deducatur argumentum adventus promissi olim patribus suis Messias.

ARGUMENTUM.

Quod status miserabilis Judæorum argumentum sit evidens, quod Messias advenerit.

ARTICULUS I.

Interrogat ipsos: A quo tempore deccidistis à statu tam felices vestri, in quo erant Patres & Majores vestri, in hanc miseriarum abyssum, cui modò immisos vos lugetis? responderunt ipsi: Erunt circiter mille sexcenti & aliquot anni, quando nempe Jerosolyma destructa & excisa fuerat ab exercitu Romanorum, & magnificum illud templum Salomonis in universo famosum orbe, quodque fuerat velut augustum Religionis nostræ solium, profanatum, & exin adæquatum solo ab inimicis Dei. Videbantur ruinæ magnæ hujus civitatis natate in sanguine incolarum suorum; plures horum milliones jugulati, velut victimæ, immolati sunt furori incircumcisorum: illi, qui victorum evaserunt gladium, deducti sunt in captivitatem & venditi velut mancipia, vel acti in fugam in diversas dispersi mundi partes. Et posthæc omnis generis aliis calamitatibus obruti, nunquam à

strage, quam toleravimus, nos potuimus sublevare.

Et nihilominus Deus Israël, vana spes qui oblitus non est miseratio Judæorum, num suarum, in medijs justitiæ suæ, quos in nos exercet, rigoribus, post tot jam elapsa sæcula, non permisit filios Abrahamæ fidelis servi sui, nec reliquias familiæ Jacob amici sui omnino perire & extingui. Nos constamus, perstamus & consistimus semper, oblutantibus in vanum omnibus viribus humanis, quæ conspirarunt adversum nos, ad delendum & extirpandum nos funditus; nosque vivimus cuncti in firma spe, quod Messias, quem promisit Deus Patribus nostris, venturus sit tandem, ut liberet, emat & redimat nos; ipsius præsentia dissipabit omnes inimicos nostros, velut sol tenebras; siquidem potentissimus ipse erit Monarcha, qui supremo dominabitur jure super omnes Reges terræ, quique populum suum felicissimum ac beatissimum reddet super omnes nationes mundi. **Q**uia

O miseri obcecati, respondit illis Ecclesiasticus, quantum deploro vos, dum pasci vos video felicitate nonnisi futurâ & imaginariâ, dum interim nonnisi veras & præsentis toleratis miseras? Ecce non vestros referatis oculos, ut videatis, in casum vos expectare Messiam, quem Deus promiserat Patribus vestris, quemque necessariò oportuit jam à longo venire tempore? Calamitates tam diuturnæ, tamque crudeles, quos ab ipsius adventu toleratis, tam manifesta hujus præbent argumenta, ut mirum valdè sit vos illa non intueri, nec sentire. Siquidem quam ob causam putatis tam severè vos accipi ab ultrice manu Dei? quæ crimina commiserunt Patres vestri tantæ enormitatis, ut traxerint tum supra se, tum supra vos sedecim sæculorum supplicia, & maledictionem tam visibilem, tam universalem, tamque terribilem, ut omnium sæculorum præteritorum memoria nihil afferat, quòd vela longè ad rigorem tanti supplicii accedat.

DEus non est injustus, ut puniat homines supra id, quòd meruerunt; sed potius justitiæ suæ rigores magnâ lenit & temperat miseratione. Quoties Patres vestri id proprio suo didicerunt experimento? quando commitebant impietates, idololatrias &

sacrilegia, Deus punivit illos quidem, modò per serpentes igneos, modò per suorum gladium inimicorum, & modò per captivitatem. Sed nunquam horum aliquod suppliciorum universum involvit populum, ita ut nec unicus inveniretur, qui ab illo foret exemptus: nunquam edusque suam in illos exercuit ultionem, ut privaverit ipsos sanctissimis quibusque Religionis exercitiis, veluti excommunicatos: nunquam in eas redegit ipsos angustias, ut velut vagabundi dispergerentur in omnem terram more Cainorum, ad exponendum ipsos odio totius gentis humanæ: Nunquam denique severissima, quibus ultrix Dei manus percusserat unquam Judæos, supplicia, per integrum absque interruptione duravere sæculum, uti patet in captivitate Babylonica, quæ pœnarum omnium maxime diuturna, nonnisi annis duravit septuaginta. Quid est hoc?

Quodnam ergò crimen est tam novum, tamque execrandum, quò se Patres vestri obstrinxerunt, ut æquissimo jure promeruerint supplicium tam universale, quòd integram involveret nationem, nec unico excepto: multam adeò severam, ut cœlum & terra adimerentur ipsis, id est, bona spiritualia æquè ac temporalia, quin & ipsa Religio, cujus non plus residuum sit,

Y 2

quàm

Calamitates
Judæorum
argumento
sunt, Messiam
venisse.

Deus punivit
olim Judæos,
sed jam exter-
minat.

Supplicia
inauditum Ju-
dæorum ac-
cigit, quòd
occiderint
Messiam.

quàm levis quædam species & tenue phantasma, uti vos ipsimet confitemini: pœnam tam probrosam ac infamem, ut contemptui, horrori ac abominationi essent cunctis viventibus: Et denique ultionem tam diuturnam, ut videatur esse perpetua; cum ultra mille sexcentos annos daret absque minimo solatio ac minima spe, quod imminuenda sit aut finienda. Quid ergo commiserunt? quodnam ipsorum crimen? procul dubio abominatione suâ longè excedet sine ulla comparatione idololatrias, sacrilegia, & omnes impietates, quas omnes Judæi simul commiserant unquam, eò quod omnipotentem Dei manum nunquam non premere & aggravare faciat universam nationem, & tanto quidem cum pondere ac rigore, qualem nunquam cuncta aspexerunt sæcula. Perpende paulisper, quale hoc sit peccatum.

Judæi pronuntiarunt contra seipso sententiam condemnationis suæ.

Si non maximâ, quæ esse possit, percussi estis cœcitate, aut omninò dati in sensum, nonne probè videatis, Messia esse sanguinem, tanta cum impietate ac rabie à Patribus vestris effusum, qui vindictam clamat adversum filios ipsorum? Nonne manifestè aspiciatis, justitiam Dei aliud non facere, nisi quod horrendam illam exequatur sententiam, quam pronuntiarunt ipsimet tum in se, tum in posteritatem

suam, dum urgendo judicem, qui declarabat ipsum innocentem, ut condemnaret illum ad mortem, unanimi exclamârunt voce, vestro perciti ac furore: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Imò, toleratis adhuc hodiè, & tolerabitis usque ad finem sæculorum horribile hoc decretum, quod enecare deberet terrore pronuntiantes idipsum, quod universam naturam induit mœrore ac luctu, quòdque ipsas mundi concussit & quassavit bases.

Quinimò vindicta hæc est sanguinis Messia, quam traxerunt supra te, & supra vos, quam toleratis adhuc hodiè; vos soli, qui suffertis illam, ipsam non videtis, dum interim mortales cæteri vestram intuentes miseriam, non tamen ullam intuentes commiserationem, altum exclamant & clare asserunt: Mirum non est, quod tam dirè percutiantur à manu Dei, cum sint perfidi illi, qui sacrilegas suas lavarunt manus in sanguine Messia & Salvatoris sui: Venerat is è cœlo, ut ipsis afferret vitam, & ipsi tam crudeles, tamque impij fuerunt, ut propriis manibus inflixerint ipsi mortem: non sufferrent supplicium, quod Deus unquam inflixit severissimum, nisi commisissent crimen, quod unquam ab hominibus commissum est, atrocissimum.

Quod

Math. 27.

Totus mundus videt Judæos puniri ob mortem Filii Dei.

Quare DEus
conservet
semper reli-
quias nationis
Judaicæ.

Quod Deus conservet ipsos in media hac calamitatum omnium inundantia, quâ prorsus per tot sæcula debuissent consumi, id idè est, ut semper habeat, quod in ipsis ulciscatur: eâ ferè ratione, quâ semper conservat infelix esse damnatorum, ut semper exerceat in ipsos terribiles justitiæ suæ rigores in omnem æternitatem. Et per hoc enuntiat & divulgat cælum universæ terræ veritatem de Verbi Incarnatione; cum omnes omnino nationes magis luculentum habere non possint argumentum adventus Messia, quàm supplicium Judæorum, quod tam visibile est, ut nemo id possit ignorare, quòdque nunquam non patenter imminuit ipsis per cuncta sæcula, ex quo impiis manibus occiderunt illum.

Affectus cœci
& furore pleni
Judæorum.

Responsum hoc, quod Ecclesiasticus magno pronuntiavit cum fervore, haud parùm irritavit duos Judæos, qui asperè & voce admodùm durâ contemptim reposuerunt illi: Ecce usitata vestra, vos Christiani, deliria, quibus pudor extorquere deberet animam, quòd tantæ sitis crudelitatis, quâ persuadeatis vobis, hominem sententiâ justitiæ condemnatum ad mortem, publicè per manus carnificum ob sua crimina extremo affectum supplicio, quorum erat præcipuum, quòd abolere voluerit

æternam hanc legem, quam accepimus ab ipso Deo per manus Moysis, quòdque asserere fuerit ausus, esse se Filium Dei, sive promissum Patribus nostris Messiam. Ubi est ratio vestra, quòd adoretis hunc hominem suffixum cruci inter duos latrones, velut Deum vestrum?

Ita verò, adorare Deum mortuum, si vobis sic placet; quantum ad nos, adoramus Deum vivum & immortalem. Adorate Messiam, qui seipsum tueri non potuit, quin in extremam, quæ homini accidere possit, caderet miseriam. Quantum ad nos, exspectamus Messiam, qui liberet Israël ex omni miseriarum genere, nosque præ omnibus populis terræ felices reddat ac beatos: submitte vos, si vultis, legi ab homine hoc ex propria sua auctoritate vobis datæ; quantum ad nos, quidquid fiat, recedere nolumus à lege Patrum nostrorum; cum certi simus, hanc accepisse ipsos ex ore ipsius Dei. Profitemini tandem Religionem vanam & novam à particulari quodam homine ex capite suo excogitaram; quantum ad nos, honori nobis vertimus, quòd nunquam nos avertamus à sola vera Religione, quæ ejusdem cum mundo antiquitatis potest affirmari, quæque alias omnes ad pedes suos aspexit prostratas.

Y 3

Eja

Rationes effi-
caces & con-
stringentes
contra Ju-
dæos.

Eja quæso, bona verba, Domini mei, inquiebam ipsis; aberatis à via vestra, detlectitis à proposito; nôsse non cupimus sentia vestra, quæ nos haud latent: respondere oportet argumento vobis proposito, quod plausum meretur, vósque constringit fortiter. Ecce post tot sæcula omnium hominum estis miserrimi? Nonne verum est, venisse aliquem Jesum à Nazareth, qui prædicaverit Jerosolymis, qui dixerit Messiam se esse vestris promissum Patribus? abnuere hoc ipsum non potestis. Nonne verum est, ipsum plura insignia patrâsse miracula, ad confirmandam eorum, quæ prædicabat, veritatem; veluti erat, dare cæcis à nativitate visum, resuscitare Lazarum à diebus quatuor jam defunctum, & plurima alia, quæ referuntur ab omnibus Historiographis contemporaneis, etiam profanis? Hæc veritas tam est manifesta, ut nullum prorsus dubitandi relinquat locum. Nonne verum est, quod Patres vestri, pro eo, quod receperint ipsum velut verum suum Messiam, ipsum persecuti sint, ac mortem ipsius urgere non destiterint, quoad viderint ipsum suffixum in cruce? Quando veritatem miraculorum ejus admittere non vultis, dubitare saltem vobis non licet de adventu ipsius, de persecutionibus, quibus

affecistis ipsum, & de morte, quam sustinuit à vobis. Omnia hæc vera sunt, dixerunt ipsi, sed positis his omnibus non sustinemus, ipsum verum fuisse Messiam; siquidem Messias, qui venturus est, longè aliam habebit potentiam, quàm homo, qui passus est suffigi se in cruce.

Quare igitur, protraxi sermo-
nem, tanta cum severitate hanc mortem vindicavit cœlum?
Nonne verum est, quod triginta
octo annis ab hac elapsis, ob-
fusa fuerit Jerosolyma ab exercitu
Imperatorum Vespasiani & Titi,
quodque experiri inceperit ipsa
ultionem magis horribilem,
quàm unquam fuerit conspecta?
Quid commisit fastuosa hæc Je-
rosolyma, olim DEO tam cha-
ra? an adorabat idola? an dese-
ruerat veri DEI cultum? an af-
firmari potest, ipsam commisisse
aliam quandam abominationem
inauditam intra spatium horum
triginta octo annorum, quæ at-
trahere potuerit super illam stra-
gem hanc in perpetuum irrepara-
bilem? Interim ipsa direpta
ac devastata est, non velut civi-
tas Romanorum potentia rebel-
lis & refractaria; his namque
consuetudo non erat hæc ratio-
ne accipiendi devictos: sed ve-
lut civitatem sacrilegam, im-
pium, rebellem Deo suo, & ob-
noxiam occisioni unigeniti Filii
sui. Legite enim omnes eos, qui
tragi-

Manifestum
est, vindicasse
Deum mor-
tem unigeniti
Filii sui.

Joseph. de
bel. Judaico.

tragicam & cruentam exararunt historiam de omnibus iis, quæ acciderunt, præcipuè Josephum, qui vobis tanquam unus ex vestris, suspectus esse non potest.

Aspicietis clarè, non tam fuisse manum hominum, quæ ciebat bellum, quam manum Dei, quæ ipsorum utebatur manibus ad ulciscendum se de illis; & fatebimini, non tam illatum esse illis bellum ab extra, quam ortum duxisse è proprio ipsorum sinu: tres partes adversæ, quas formaverunt in civitate, plus effuderunt sanguinis unico die, quam totus exercitus Romanorum pluribus septimanis; hæcque ratione experiebantur manifestè, crudelissimum se persequentem inimicum intra seipsum castrametatum, huncque esse crimen in personam JESU Christi à se commissum.

Et ut dubitari de hoc non possit, visi sunt summa cum rabie rapi in ipsum templum Dei vicia excidit Je-
rosolymitani, cuius occiderant Filium: Hic loci pars illorum, quos zelosos nuncupabant, cum evasissent victores, impleverunt totum hunc locum sanctum abominatione, homicidiis sacrilegiis, tamque multiplicatis profanationibus, ut ipse hostis, à quo obsidebantur, conceperit ex eo horrorem. Imperator Titus, qui Princeps erat valdè clemens, tam vehementi exin correptus fuit dolore, ut

peracri perstrinxerit ipsos reprehensione, Deos patrios testatus, innocuas esse manus suas à tanta abominatione, manifestè asseverans, se non tantum id non fecisse, sed potius, ne fieret, fuisse obstiturum. *Quid in templo etiam mortuos conculcatis, ô nocentissimi? Testor Deos Patrios, non ego vos violare hac compellam.*

Nihilominus cæco pergentes furore, ut ostenderent per crudelitatem, quæ sæviebant in templum, sævitiem illam, quæ insaniebant in ipsam personam Dei vivi, qui templum ipsorum sanctificabat, totos torrentes effundebant sanguinis, trucidando Presbyteros, mactando ipsos suos fratres, & totum hunc locum sacrum implendo cadibus, ita ut mortuorum cadavera natarent in lacu sanguineo, veluti in mari rubro. Appono propria Josephi verba: *Stagnum fecerat diversorum cadaverum sanguis.* Et pro eo quod se defendere cogitarent contra Romanos sibi imminentes, gladiumque jam jugulo quasi apponentes, ac si parva nimis foret tota adversum se Imperii Romani potentia, proprias suas contra seipsum obarmabant manus, ut quantum poterant, adjuverent justam Dei iracundiam, ad capiendam de se ultionem. Quis manifestè non intuetur, non esse profectos hos ictus à percutiente manu hominis, sed omni-

potens

Brevis histo-
ria excidit Je-
rosolymitani,

potens DEI fuisse brachium, ulciscens unigeniti sui mortem Filii.

Tandem celebris hæc Jerosolyma desit esse caput & asyllum nationis Judaicæ, & æviternum facta est sepulchrum populi hujus olim tam famosi, & religionis ipsius antea tam splendidæ, tamque ex illa, nisi mœlta ejusdem memoria, & fragmenta ruinarum ipsius ultra mille sexcentos annos semper dispersa manserint per universam terram; quin se unquam reunire potuerint ad componendum unum populum, monstrandò per hoc, se non esse deinceps in mundo, nisi ut per totum orbem infelices agant testes adventus Messia, quem egerant in crucem, cujusque sanguis persequatur ipsos adhuc, ipsorumque ulciscatur crudelitatem. Quid respondere mihi potestis ad hæc? non sunt fabulæ, quas vobis refero, sunt veritates nimis quàm perspectæ vobis, quia didicistis propriò vestrò easdem experimentò. An non ceditis,

nec manus datis hisce argumentis?

Rem accipis in malo sensu, ipsi dicebant mihi! Verum quidem est, miseras nostras, quibus à pluribus sæculis obruimur, summas esse & absque exemplo; sed ignoramus, nosque latent desuper consilia DEI. Novimus quidem nos peccatores esse, & peccatorum nostrorum minimum majoribus adhuc dignum esse suppliciis: forsitan DEUS per tam diuturnas calamitates disponit nos, ut tantò suavius olim degustemus felicitatem, quàm fruemur, dum Messias ex contingentiis non fundamus fidem nostram, sed in verbo Dei, quod habemus in manibus nostris, in quo certam tenemus promissionem de mittendo nobis Messia, qui felices nos reddet ac beatos: præsentem nostræ miseriæ luculenter nobis insinuant, ipsum nondum venisse: Novimus enim fidelem esse DEum in promissis suis. Et ecce solidum spei nostræ fulcimentum.

ARGUMENTUM.

Quòd Judæi convinci debeant de adventu Messia è Scripturis veteris Testamenti.

ARTICULUS II.

Oportet Messiam vel jam venisse, vel ponit illis bonus noster Ecclesiasticus, assentior in hoc vobis; sed

dissentimus, an venerit, an nondum venerit? Vos dicitis, quòd nondum venerit, quòdque expectetis ipsum adhuc: Et ego dico,

dico, quod venerit ante mille sexcentos octoginta quatuor annos, neque is deinceps sit expectandus ultra. Non dicimus ambo veritatem; sustinet enim omnino contrarium uterque; non dicimus etiam ambo falsum: Nam supposita certa promissione, in quam consentimus, debet necessario vel jam venisse, vel nondum venisse. Oportet ergo e duobus unum demonstrare veritatem, quam sustinet, & huic alterum dare manus. Per quid judicare nos vis de facto?

Ex libris nostris, dicit Judæus; siquidem hi purum complectuntur Dei Verbum; hi Scripturas continent antiquissimas & maximè authenticas totius mundi. Non est hic liber particularis cujusdam hominis, sed integri aliquis populi; non est liber unius duntaxat temporis, sed omnium prorsus sæculorum. Non est liber humanus, sed divinus, cum compositus sit à Prophetis, qui non scripserunt nisi id, quod didicerunt à DEO ipso, & locuti sunt res tam sublimes, tamque admirabiles, ut inveniri & excogitari non potuissent ab intellectu hominum. Ex his haurimus cognitionem promissi nobis Messia; & tu ipse non cognovisses illum, nisi nostros lectitasses libros; hi legitimi sunt iudices, quorum est nostram dirimere causam. Admitto illos, re-

spondet Ecclesiasticus, æquè ac tu credo firmiter, quidquid in omnibus veteris Testamenti libris est exaratum: aspicio hinc clarè sicut tu promissiones de adventu Messia, sed certitudinem hic non video, quod nondum advenerit; imò potius videtur mihi per signa manifestissima ipsis promissionibus annexa, quod necessario jam venisse debuerit.

Messias veniet, dicunt omnes Scripturæ; hoc est certum: Nam impossibile est, promissionem DEI manere promissionem, abs eo, quod unquam impleatur. Sed quando veniet? quæ signa, ut cognoscatur, quando venturus sit, & quinam effectus expectandi ex adventu ipsius e caelo in terram? Omnia hæc tam clarè observata sunt, tamque evidenter adimpleta sunt in persona JESU CHRISTI, ut more vestro quis debeat cœcutire, qui id non videat.

I. Nonnè verum est, quod annotatur in quadragesimo no-

Scripturæ veteris Testamenti recipiuntur tam à Christianis quam Judæis,

Genes. 49.

Sceptrum ablatum est à domo Juda, ergo Messias venit.

Z

pro-

procurabant mortem ejus, manifestè omninò contestabantur, se Regem non habere, nisi Cæsarem: fatebantur igitur ipsimet, præter mentem suam, quòd venerit Messias, eoquòd non haberent amplius alium Regem, quàm extraneum, nec etiam alium velent quàm illum.

Dan. 9.

II. Nihil disertius est, quàm septuaginta hebdomada Danielis, ubi ad amuilim annotatur tempus, non solùm, quando Messias venturus sit, sed etiam, quando sit occidendus; quòdque populus, qui eum negaturus est, non futurus sit amplius populus ejus, quòdque civitas sancta dissipanda sit à populo & Duce venturo: quòdque finis belli futura sit vastitas & ultima desolatio, quæ perseverabit usque in finem? Sed hæc nonnè singulatim acciderunt? JESUS Christus occisus est, & populus ejus, qui negavit eum ceu Messiam suum, non est amplius populus ejus, & Jerosolyma devastata est, quin unquam in priorem poterit redigi statum: manifestè igitur patet, Messiam promissum jamjam venisse. Dices, quòd tempus septuaginta harum hebdomadam Danielis non possit tam exactè numerari, nec sciri, quando inceperint, eò quòd Propheta non satis clarè hac de re loquatur, nec etiam, quando finiendæ sint, ob diversas Chro-

Prophetia Danielis est evidenter impleta: ergò venit Messias,

nologistarum supputationes: sed tota hæc controversia non attingit ad summum nisi annos ducentos; & ecce jam plures quàm mille sexcentos elapsos, ubi nullam invenire poteris rationem eòsque illas extendendi. Oportet ergò vel pertinaciter claudere oculos absque ratione, vel candidè fateri, Messiam jam venisse, & non amplius esse expectandum.

III. Nonnè dictum, & toties Familia David iteratò dictum est in Prophetis, & Bethlehem non sunt amplius; ergò venit Messias, quòd Messias futurus sit Filius David, & nasciturus in Bethlehem. Jam, ubi est modò familia David? ubi est Bethlehem? omnia hæc quasi annullata sunt, ita ut ne quidem eorum supersint vestigia, jam antè plura sæcula. Necessariò igitur jam à longo tempore venisse debuit Messias, eoquòd extiterit Filius David & natus in Bethlehem: Vel dicendum est, ipsum nunquam venturum & promissionem de illo mittendo factam à Deo, nunquam mittendam in effectum. Ecce igitur tempus adventus ejus tam accurate tamque signanter notatum, ut omnis ratione præditus clarè videat, id jamjam effluxisse.

Si posthæc consideres signa particularia, quæ data sunt ad cognoscendum tempus adventus ejus; nonnè vides omnia illa, quæ à Prophetis exarata sunt, con-

Malach. 3. conspecta & verificata esse in persona Christi JESU. Malachias scripsit, ipsum habiturum aliquem præcursores; sanctus Joannes Baptista præcursor fuit Christi JESU; Michæas natorum esse in Bethlehem; Isaias, ipsum cognoscendum fore in medio duorum animalium; Zacharias & regius Vates, ipsum fore reprobandum, non agnoscendum, tradendum, vendendum, colaphizandum, illudendum, potandum felle, manibus

Omnes Prophetæ de Messia factæ, conspectæ sunt in Christo JESU: ergo Messias venit.

pedibusque perforandum, in facie conspuendum, super vestimenta ejus mittendam sortem, ipsum tertiâ die resuscitandum, & tandem ascensurum in cælos ac sessurum ad dexteram DEI. Et omnia hæc tam particularia nonnè sigillatim acciderunt in persona Christi JESU, eâ ratione, quâ prænuntiata sunt à Prophetis, quin unquam aliquis vel antè, vel post eum fuerit visus, qui simile quid habuerit, quique dixerit, se Messiam esse? decipi igitur non possumus dicendo, ipsum venisse.

Tandem, si quæras, ubi sint operationes & effectus adventus ejus, annotati à Prophetis, ipsum nobis promittentibus, nonnè hi omnes patent ad oculum? prædictum est à Jeremia: *Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum; non secundum pactum, quod pe-*

Jerem. 31.

pigi cum Patribus vestris, in die, quâ apprehendi manum eorum, ut educrem eos de terra Egypti: sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in DEum, & ipsi erunt mihi in populum. Ab eodem: quod Judæi reprobaturi sint Christum JESUM, & consequenter reprobandi à Deo. Prædictum est ab Ezechiele: *Disperdam simulachra* Ezech. 30. *& cessare faciam idola de Memphis &c.* quodque ab omnibus nationibus mundi offerendum sit Deo vero Sacrificium mundum, quod non amplius futurum sit ex animalibus. Prædictum est ab Osea: quod populus, qui fuerat Os. 1. populus ejus, non amplius futurus sit populus ejus. Et à pluribus Prophetis: quod omnes nationes terræ venient ad eum in multitudine. Et à Joële: quod Joël. 2. effusus sit Spiritum suum super eos, & daturus illis cor novum, ut ambulare eos faciat in visis suis. Jam quis non videt, omnia hæc accidisse, sicut prædicta sunt, tempore adventus Messia? dubitandum ergò non est amplius, quin venerit.

Siquidem nonnè verum est, novam jam esse legem, quæ dominetur in universa terra, quæque oblivisci faciat veteris Testamenti? Quis efficere hoc potuit, nisi potentia veri Messia? ipse est Messias.

Omnes effectus adventus Messia à Prophetis prænuntiatos videre erat in Christo: ergò Non.

Nonne verum est, Judæos non amplius esse populum dilectum Deo, postquam Messiam occiderunt? apparet hoc ex miserabili, in quem redacti sunt, statu. Nonne verum est, omnia idolorum templa esse subversa, omnia animalium sacrificia deleta, nec aliud modò sacrificium offerri Deo, quàm illud Altarium Religionis Christianæ? Nonne verum est, quòd pro Judæis à DEO reprobatis, qui non erant nisi pugillus populi, venerint gentiles turmatim ad adorandum verum Deum & componendam Ecclesiam Christianam? quique pro eo, quòd in infidelitate constituti vitam duxerint prorsus animale, exin colla subdentes jugo & legi sancti Evangelii, in maximo visi sunt numero, qui vitam ducebant Angelicam? renuntiârunt Principes suis dignitatibus, deseruerunt divites suas divitias, suam virgines consecrârunt Deo virginitatem; quin & tantâ fuerunt animi magnitudine, ut suam illi sacrificarent per Martyrium vitam; suos pueri reliquerunt Parentes, penes quos millenis fruebantur deliciis & concesserunt in deserta, ad amplexandas ibi summas vitæ austeritates. Quis efficere poterit hæc omnia? unde tam ingens orta est mutatio, quam videre licuit in mundi facie, quæque tam diuturno per-

Effectus admirabilis adventus Messie.

severat jam tempore, & indies magis magisque perficitur? Estne hæc virtus ficti cujusdam & imaginarii Messie, quæ operari hæc omnia potuit prodigia non nisi omnipotenti Dei brachio possibile? Nonne cernis hic certas adventus promissi Messie notas, quæ ipsâ luce meridianâ sint clariores?

Duo Rabbini, quorum offuscaverat ingens hic splendor oculos, inquirebant velamen quoddam ad imminuendam, quâ obruebantur, claritatem. Verum est, dicebant, persuadere potuisse hæc illos, qui facile credunt: sed quanta alia ex parte habemus argumenta tam evidentia, tamque certa, quòd promissus Messias nondum advenerit, ut omninò negari non possint? Depinxerunt illum Prophetæ coloribus tam vivis, tamque illustribus, ut impossibile sit, ipsum non cognitum iri à mortalibus, dum advenerit: Siquidem debet is esse Rex regum, & Dominus dominantium; regnum erit in manu ipsius, potestas & imperium; populo suo conferet victorias adversum inimicos suos; divitiis & honoribus locupletabit illum; cum scriptum sit: Gloria & divitiæ in domo ejus: Et nos nihil horum omnium vidimus; sed potius populus Deo dilectus nunquàm majori oppressus fuit miseriâ, quam

Deceptio & cecitas Judæorum.

quàm post adventum existimati vestri Messias: Longè abest, quòd ipse sit Messias: verus enim Messias benignissimus erit Salvator & Redemptor omnipotens, qui nonnisi bona conferet nobis, & hic nonnisi malis nos affecit.

O quàm estis adhuc carnales, respondit illis Ecclesiasticus! Ecce vobis infelicitatem Patrum vestrorum & vestram. Ipsi erant carnales, & vos estis; ipsi sic erant assueti rebus sensibilibus, ut parvam spiritualium haberent cognitionem. Promittebatur illis, quòd à Messia ad se venturo implendi forent omni bonorum genere: sed hoc verbum, *Bonorum*, est æquivocum, quòd intelligi potest vel corporaliter, vel spiritualiter; patres vestri noluerunt illud intelligere nisi corporaliter. Sed nonnè judicare potuerunt, alia esse bona quam corporalia, cum quædam sit vita spiritualis & invisibilis, & anima immortalis sine comparatione nobilior corpore? Nonnè absque intermissione ipsimet loquebantur de Jacob, Isaac, Abraham, qui amplius non habebant esse corporale, sed anima ipsorum semper manebat immortalis? An nesciebant, quòd cum Deus incomparabiliter pluris æstimet animam corpore, ipse missurus nobis esset Messiam, ad afferendum nobis è cælo bona potius spiritualia & invisibilia, quàm

corporalia & visibilia? Nonnè judicare poterant, quòd, si quæstio foret de bonis corporalibus, non opus fuerit adventu Messias ad ipsos locupletandos? quæ majora bona dare illis poterat, quàm quæ jam acceperunt? an possidendam illis traderet regionem magis jucundam & fecundam? sed talis non erat in mundo: an redderet illos magis liberos, nullique omninò subiectos? sed ipsimet dicebant: Filii Abraham sumus & nemini servivimus unquam. An liberaret eos à captivitate magis dura, quàm fuerit illa Aegypti vel Babylonis? sed durior & intolerabilior illà non erat, quantum spectat ad corpora. Quid ergò? an majora in favorem ipsorum patraret prodigia? sed impossibile erat majora videre, quàm transitum maris rubri, manna præparatum ipsis in deserto, & tot alia, quæ stupore impleverunt omnes mundi partes.

Opus igitur erat venire Messiam de cælo, ad afferendum illis bona longè majora, magisque stolidi, quam corporalia, quæque tantum superarent illa in dignitate, quantum corpus superatur ab anima. Bona corporalia non erant nisi figuræ, quia more figurarum sunt transitoria: sed bona spiritualia sunt veritates, quia invariabilia sunt & æterna: jam veritas semper sine

Quòd Jesus Christus nobis afferat vera bona, quorum Judæi nonnisi figuras habebant.

Intelligentum est spiritualiter, quod Judæi intelligunt corporaliter.

comparatione nobilior est, quàm figura. Liberatio è captivitate Ægypti nihil erat, adducta in comparisonem cum liberatione è tyrannide peccati, quam secum Messias nobis attulit. Transitus maris rubri nihil erat comparatus cum amaris pœnitentiæ lachrymis, & adorando sanguineo balneo Redemptoris, quod transire nos oportet non in terram promissionis, sed in terram viventium, quæ est patria nostra cœlestis. Manna deserti nihil erat respectu sanctissimæ Eucharistiæ, in qua pretiosò suò nos pascit corpore. Victoria de inimicis visibilibus nihil erat intuitu illius, quam reportare nos facit de invisibilibus. Et tandem omnes corporales divitiæ nihil erant æquiparata inæstimabili gratiarum & meritorum ipsius thesauro, quem nunquàm non aspectum servat ad nos locupletandos.

Res mira! quòd eòsque Judæi amaverint figuras, ut illas deserere nunquàm voluerint etiam in præsentia veritatis. Sed nonnè videtis, figuras datas non esse, ut semper durarent, & apparente lumine migrandum esse tenebris: Relinquitte ergò tan-

dem, relinquitte figuras vestras, tranfite ad veritatem.

Dum his intendebamus; tenebat è curiosorum & ignavorum illorum, qui ubivis sese insinuant congressibus nihil ad se spectantibus, numero quispiam ad nos, & postquam aliquandiu nostro discursui præbuisset aures, & audisset afferri à nobis plures Scripturæ textus, sive verè Atheus fuerit, sive talis apparere voluerit, irrisoriè & contemptim dicit nobis: Admiror, dum tantum inniti vos video historiis temporis jam elapsi: an ignoratis plerasque illarum fabulis scatere ac figmentis? plurimos in vita mea lectitavi apologos, quasdam etiam legendo evolvi historias, & speciosas ubivis comperi imaginationes. Sed fateor, librum illum, quem vestra nuncupatis Biblia, compactum esse è lepidissimis, quos unquam legerim, apologis. Ad hæc Rabbitorum quispiam interpellando ipsum, sermonem adortur pro defensione veteris sui Testamenti, & magno accensus zelo ita ad eos fari cœpit.

ARGU.

Occursus aliquis Athei argumentum præbens continuandæ Consultationi.

Sex quibus frangitur probabilitas rarum Testa

Primum ipsum quita

ARGUMENTUM.

Argumenta efficacissima probantia veritatem Scripturarum veteris Testamenti.

ARTICULUS III.

Non est in mundo, qui vel unicam habeat falsis, qui dubitari possit de veritate Scripturarum veteris Testamenti: siquidem liber hic non est alicujus particularis, qui ediderit ipsum in lucem, ad exponendas proprias suas idæas: Liber hic universalis est cujusdam totius ingentis populi, sollicitè conservantis id, quod Deus ipse in hoc libro jussit exarari. Dico quoque audacter, librum hunc esse communem omnium in mundo hominum, cum nullam certam quam ex hoc libro non hauserint, habeant veritatem; ita ut, qui cognoscerent ipsius excellentiam ac certitudinem, dubitare non possent, quin ea, quæ complectitur, sint verissima. Quare hoc, interpellat alter? Dabo tibi, replicat Judæus, hujus rei sex rationes tam efficaces, tamque evidentes, ut oblectari illis haudquaquam poteris. Attende & videbis.

I. Prima est, quod hic liber sit ante omnes alios; nemo unquam vel scivit, vel scripsit aliquid magis antiquum eò, quod ipse enarrat nobis; ipse solus recenset nobis primam mundi ori-

ginem, nosque informat, unde venerit, quique talem, qualis est, effinxit, quis illius sit Auctor, quantumque impenderit temporis ad conficiendum opus tam exquisitum, quinam primi ipsius fuerint inquilini, quæque horum acta & facta: nihil unquam & usquam invenietur prius illo, quod nuntiat ipse. Sed quis excogitavit hæc omnia? interrogat viator: Estne contemporaneus quisquam, qui literis commisit, quod oculis hausit?

Respondeo, dicit alter, quod Quod Moyses Moyses, qui exarare cœpit hunc dicere non librum, non fuerit quidem potuerit falsum in eo, contemporaneus omnibus iis, quæ quod scripsit. exaravit; nihilominus fuerit iis valdè vicinus, adeoque habere potuerit testes, tum qui partem eorum viderint, tum qui audierint à patribus & majoribus suis cœtera omnia, quæ scripto consignavit; & ecce quomodo? Vita hominum tempore illo tractata est plerumque ad octingentos saltem vel nongentos annos ante diluvium; erant ipsis filii numerantes quadringentos vel quingentos ætatis annos: consequenter hi filii diù valdè & longissimo tempore suis vivebant

Sex rationes, quibus irrefragabiliter probatur veritas Scripturarum veteris Testamenti.

Prima ratio ipsius antiquitas,

vebant Patribus, à quibus accuratissimè addiscebant ea, quæ noverant ipsi; cumque nondum haberent nec scientias, nec artes, quibus multum occuparentur, omne suum in eo collocabant studium, ut exactissimè addicerent historiam, acta & facta majorum suorum.

Horum filii vivebant quoque diuturno admodum tempore, & cum filios maturè quoque haberent, pluribus sæculis vixerunt cum ipsis, eosque docuerunt, quæ didicerant à patribus suis. Et hi pari ratione cum suis producebant posteris. Cum igitur verum sit, vitam hominum maximæ fuisse diuturnitatis, hinc sequitur, non nisi admodum paucas extitisse generationes successivas ab Adam usque ad Moysen, qui monumentis tradere incepit totam majorum suorum historiam, & ea quæ acciderant majori consideratione digna, à creatione mundi usque ad tempora sua, quæ tunc debebant esse tam publica, perspecta, comperita, explorata per continuam hanc traditionem patrum ad filios, ut, si aliud quam veritatem exarasset millies millenos habuisset testes, à quibus perstringeretur & argueretur mendacii; sicque liber ipsius velut fictus & commentitius condemnatus fuisset à toto mundo, nec subsistere potuisset; cum dissipentur quan-

toyus figmenta & mendacia. Nos autem ex adverso intuemur, universum mundum recepisse ipsum, velut sacrum quoddam depositum, quo conservetur præteritorum sæculorum veritas; quique velut talis semper fuerit existimatus æviteris temporibus.

II. Secunda ratio, quæ validè firmat & suffulcit primam, est, quòd Moyses non scripserit res particulares, non nisi paucissimis personis notas; sed recenseat res exploratissimas, & facta tam inusitata, tamque inaudita, ut, cum ex seipsis velut incredibilia existant, nisi certissima & comperitissima fuissent cognitioni totius mundi, illaque non accidissent verè eâ ratione, quâ describit ipsa, facillimum fuisset convincere ipsum fraudis ac imposturæ. Siquidem, exempli gratiâ, si diluvium universale, quod totum submersit & inundavit mundum, fuisset fabula primùm à Moysè excogitata, quin ullus ejusdem rei habuisset cognitionem; quâ ratione invenisset fidem, quando primùm id enarrare incepit, si eòsque fuisset quid inauditum inter homines? Quâ ratione similiter liberatio à captivitate Ægypti, transitus maris rubri, habitatio in deserto, manna descendens è cælo, introitus in terram promissionis, & cætera omnia, quæ recensuit,

pro-

Secunda ratio: Ea, quæ dixit, sunt publica & valde inusitata.

prodigia, non fuissent habita pro fabulis, commentis & figmentis? siquidem hæc facta sunt, quæ non concernunt solum personas quasdam particulares, sed regna & populos integros, quorumque veritas vel patere & constare debebat omnibus viventibus; vel velut ficta & commentitia reputari. Et quâ ratione Scriptor aliquis contemporaneus, qui viderat exitum Israël de Ægypto, & reliqua, quique tantæ erat penes populum Israël auctoritatis, res tam inusitatas fuisset ausus exarare, illasque divulgare velut veritates, si fabulosæ extitissent?

Tertia ratio: Qualitates Moysis, qui magnam partem scripsit veteris Testamenti.

III. Adjungo pro ratione tertia, quæ duas præcedentes magis adhuc confirmat; quod Moyses non solum fuerit Historiographus fidelis, qui decipere non potuerit nec semetipsum, nec alios in hoc, quod exaravit, ob eas, quas jam allegavi, rationes: sed habuerit insuper tres qualitates eximias omnino speciales, è quibus deducatur, impossibile esse, quin omnia ea, quæ scripsit, sint verissima. Prima est, quod fuerit magnus Propheta; secunda, quod fuerit vir sanctissimus; tertia, quod fuerit intimus Dei amicus, & singularem cum Deo habuerit familiaritatem.

Quod fuerit magnus Propheeta, dubitari non potest; siquidem prænuntiavit innumera,

quæ postmodum eâ, quâ prædixerat, ratione acciderunt. Et hoc concludit optimè, quod cætera omnia, quæ ipsum præcesserunt, quæque recensuit, absque eo, quod viderit, velut creatio mundi, diluvium, & reliqua fuerint verissima.

Quod fuerit Vir sanctissimus, patet ex hoc, quod omnes vitæ ipsius actiones fuerint quasi tot miracula; ex hoc, quod docuerit custodire legem Dei tam exemplis suis, quam verbis; ex hoc, quod fuerit habitus quasi Deus visibilis à populo; ex hoc, quod debuerit subtrahi ipsius corpus post mortem cognitioni hominum, ne forsân velut Deum adorarent ipsum.

Quod denique fuerit intimus amicus Dei, singularissimâ ipsi familiaritate conjunctus, specialis ipsius est character, & illud, quod celeberrimum occurrit in ipsius vita, per quod à cæteris omnibus discernitur mortalibus, quorum nec unicus ingenti hæc fruebatur prærogativâ: agebat familiariter cum DEO, velut amicus cum amico; cujus divinas edoctus voluntates, referebat & nuntiabat illas populo; Et toti exploratum fuit orbi, quod ascenderit ipse in montem accepturus legem de manu Dei, & consignaturus illam manibus hominum. Quæ-

A a

ro,

ro, an credere quis posset, talem ac tantum virum fuisse vel tantæ inscitæ, vel tantæ malitiæ, ut scribere quidpiam falsi vel voluerit, vel potuerit in libris suis.

Quarta ratio: Omnes alii, qui scripserunt post Moysen, fuerunt sicut ipse, sancti & Prophetæ.

4. Quarta ratio, quam allego concernit omnes, qui scripserunt post ipsum, quorum quilibet statutis temporibus apposuit partem suam, ad prosequendum & componendum totum hunc liberum divinum & Moyse inceptum. Fuerunt hi omnes, uti Moyses, Prophetæ inspirati & illustrati à Deo: siquidem videmus, ipsos prænuñtiasse innumera, quæ eadem, quæ prædixerunt, ratione contigerunt. Insuper erant omnes Sapientes, qui cognitiones suas trahere non poterant, nisi è cælo: scripserunt enim res tam sublimes, tamque incomprehensibiles, ut nunquam intellectus naturalis hominis illas excogitare potuisset, cum etiam illas intelligere non possit, nisi illustratus quodam radio Spiritûs Dei. Adhæc extiterunt homines sanctissimi, qui plerumque suam exposuerunt vitam ad propugnandam Dei gloriam, non cessantes, incredibili cum ardore invehî in vita nonnisi exstimulantes ad virtutem, dantes præcepta vitæ tam sanctæ, ut dubitari non posset ex iis, quæ scripserunt, quin repleti omnino fuerint

Spiritu Dei. Ecce qui fuerint auctores componentes hoc sacrum volumen veteris Testamenti: & exin optime concludo, non esse hominem ratione præditum in terra, qui recipere non debeat omnia in libro hoc exarata, velut oracula cæli.

5. Annexo huic pro quinta ratione, quod hic sit liber tam miraculosus, ut videatur habere quoddam genus Omnipotentia; eoquod absque ullo auxilio humano, semetipsum conservaverit in integritate & puritate suâ cunctorum decursu sæculorum, quamvis ab innumeris semper oppugnatus fuerit adversariis, siquidem ex unâ parte habet omnes affectas mundi, & vanitates ejus, quos perstringit, quos obiurgat, quos condemnat, quibus severissima minatur supplicia, ipsis etiam proponens sui similibus exempla, quibus horrendæ à Deo inflictæ sunt pœnæ: Et nemo unquam in terrâ tantæ fuit auctoritatis & potentia, ut publico huic censori imponere potuerit silentium. Ex alterâ parte habuit pro adversariis omnes fabularum inventores auctoresque cunctos vanarum superstitionum Gentilitatis.

Hic viator interpellat ipsum, putans huic Rabbino se mox præcidisse totum orationis filum, dicendo: Nihil quasi video

Quinta ratio: Liber hic divinus est, quia se ipsum semper conservavit contra omnes adversarios,

deo in vestro hoc libro, quod non inveniam in aliis libris Poëtarum, Philosophorum, & omnium aliorum, qui verba faciunt de Diis: probè adverto, ipsos, quæ habent, hausisse ab invicem, nec unum plus complecti veritatis, quàm alios.

Sed nonnè cernis, respondet Judæus, quòd impossibile sit, librum nostrum, cum antiquissimus sit in toto mundo, sicut tibi demonstravi, hausisse quidquam ex alio se antiquiore. Sed omnes alii homines, qui non habebant cognitionem veri Dei, quique nihilominus sequentes instinctum naturæ vivere non poterant, quin aliquem agnoscerent Deum, volentes sibi juxtà cæcum animi sui impetum aliquam fabricare religionem, quæ videre haberetur aliquid superhumanum, hauserunt ex libro hoc divino deliriorum suorum materiam, & aliud non fecerunt, quàm quòd nostras obvelaverint veritates, suas exin commiscendo fabulas.

Quomodo omnes auctores falsarum Religionum hauserint è Scripturis veteris Testamenti, quas corruperunt, Cum quispiam ipsorum legeret in Isaia, quòd virgo quædam paritura esset Deum, finxit quandam Danaën, quam Jupiter reddiderit fœcundam per pluviam auream, quam dilabi faciebat in sinum ejus ad pariendum quempiam Semi-Deum. Alius cum legeret historiam diluvii depulantis universum orbem, hunc

tamen exin innumerabili hominum multitudine denuò repletum, finxit quendam Deucationem, qui projiciens retro se lapides, naso fecerit tot homines, quibus denuò repleretur orbis vacuus & inanis. Alii cum viderent, quòd Deus verus in Scripturis nostris depingeretur omnipotens, æternus, infinitè sapiens, Deus exercituum, & ejusmodi, sumpsērunt ansam fingendi tot falsos Deos, quot nominari audierant perfectiones veri Dei: Loco æternitatis ipsius invenerunt Saturnum Patrem temporum; loco omnipotentia ipsius commenti sunt Jovem Supremum Deorum; loco infinitæ ipsius sapientia excogitarunt Apollinem & Mercurium; & pro Deo exercituum fabricati sunt Martem sanguinarium: & sic de reliquis.

Post excogitatos ità pro arbitrio suo Deos, oportebat divinos ipsis exhiberi honores, & certam quandam introduci religionis formam: hinc invenerunt quoque in libris nostris cæremónias à Deo nobis præscriptas, ad erigendum ipsi altaria, accendendum ipsi incensa, sacrificandum ipsi victimas. Et quia per corruptionem res optimæ evadunt pessimæ, ex actu sublimissimo & sanctissimo, quem possit homo exercere in terra, offerre nempè sacrificium vero Deo,

formârunt ipsi omnium abominationum maximam & horrendissimam, dum idipsum obtulerunt idolis & dæmoniis.

Hâc ratione impletus est mundus falsis Dijs, fabulis & superstitionibus Gentilitatis, quæ se dilatârunt per universum quasi orbem, ita ut sola Religio vera, quæ erat in mundo, inclusa manserit in angusto quodam terræ angulo, & à solo observata Israëlitis populo, qui nonnisi parvus hominum erat pugillus respectu cæterorum hominum. Et nihilominus innumeris his veritas circumfusa mendaciis permansit in integritate sua; & Scripturæ nostræ à tot aliis oppugnatae semper perstiterunt puræ, quin unquam vel in minimo ipsarum vel violata vel immutata fuerit veritas; & Religio nostra à tanta superstitionum Gentilium multitudine obsessa & agitata, nunquam non se conservavit inviolatam, quò minùs ullam in sanctitate sua passa fuerit alterationem. Quis diffitebitur, hoc ingens esse prodigium omnipotentis manûs DEI, idque solum sufficere ad persuadendum cunctis mortalibus ratione utentibus, firmam & inconcussam adhibendam esse fidem omnibus iis, quæ in hoc exarata sunt libro.

VI. Nihilominus ad convincendum te, sextam denique af-

fero rationem, quæ omnes præcedentes haud parùm confirmat. Quia est opus multorum, qui absque ulla inter se communicatione, conveniunt perfectè. Considera hunc librum solum in mundo esse, qui sit opus quasi omnium sæculorum; siquidem in ipso concinnando non tantùm impensè sunt quingenti vel sexcenti anni; sed à Moyse, qui ipsum incepit, usque ad tempora Machabæorum, ubi finitus est, saltem duodecies vel decies ter centeni effluerunt anni, sub quorum decursu viri plurimi conditione & ingenio valde diversi, singulatim aliquid adjecerunt, absque eo, quòd se invicem aliquando viderint, vel sua communicaverint consilia; & tamen tam perfectè conveniunt in veritatibus, quas docent, ut manifestè appareat, nonnisi eundem Dei Spiritum esse, qui direxerit ipsos. Omnia hæc argumenta nonnè sufficiant abundè, ad concludendum de indubitata veritate omnium Scripturarum veteris Testamenti?

Videbam quidem omnes has rationes optimè demonstrare & evidenter deducere veritatem veteris Testamenti; sed non minus persuasos voluissè circa veritatem novi tum Judæum, tum viatorem peregrinum; idèò easdem vel similes, proferre volui rationes, ad probandum hanc illis efficacissimè, uti videbis.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Efficaces demonstrationes veritatis Scripturarum novi Testamenti.

ARTICULUS IV.

Sex irrefragabiles probationes veritatis Scripturarum novi Testamenti.

I. In primis si Scripturae veteris Testamenti indubitatae sint, quia continent figuras & umbras veritatum, quas promiserat nobis Deus; illae novi Testamenti non minoris sunt, eod quod complectantur veritates ipsas umbris his & figuris significatas, quodque sigillatim per singula capita verificatum videmus in hoc, quod aliud praedixerat nobis. Duo haec Testamenta tam ingentem habeant inter se conjunctionem, ut unum non sit plenum nisi promissis eorum, quae in altero ipso debent opere compleri; & hoc non sit plenum nisi executione eorum, quae in primo fuerant promissa: ita ut, cum ambo non sint nisi duo quasi partes eundem componentes librum, antiquitas unius sit antiquitas alterius; & affirmari possit, novum Testamentum, quod dependet ab antiquo velut conclusio a praemis, esse sicut illud, primam & antiquissimam Scripturam, quae existat in mundo.

II. Probatio: Est opus Filii DEI & Apostolorum.

II. Si firmiter credendum est, quod antiquum Testamentum sit verum, eod quod magna ex parte exaratum fuerit a Moyse, in-

timò DEI amico, utpote singularissimam habente familiaritatem cum ipso, & totum reseratum a Prophetis, qui sanctissimi fuerint homines inspirati & illustrati a Deo: quanto firmitus credenda sit veritas Testamenti novi, eod quod maxima ex parte dictatum & edoctum sit ab ipso proprio ore Filii DEI in carne humana, veluti quatuor Evangelia; reliqua scriptis consignata ab Apostolis, viris sanctissimis, & in schola ipsius optime informati, ac plenis Spiritu sancto, quem in forma visibili acceperunt? Ipsorum sanctitas evidenter omninò apparebat in vita, quam ducebant, innocentia; in innumeris, quae patrabant, miraculis; & in Martyrio, quod omnes fere subierunt pro defensione gloriae DEI.

III. Tertiò, si manifestum est, Moysen non potuisse scribere falsum ob innumerabilem multitudinem testium, quos sibi habebat contemporaneos, qui potuissent ipsum arguere falsitatis, praecipue cum scripserit res tam inusitatas, ut nullam invenissent fidem, nisi omnium hominum cognitioni fuissent prorsus ex-

III. Probatio: Apostoli & Evangelistae non potuerunt scribere res falsas, cum innumeros habuissent testes, qui ipsos falsi arguissent.

A a 3

pl-

ploratæ : quanto magis verum Apostolos & Evangelistas exarare non potuisse falsum, cum exarare non potuisse falsum, cum exaraverint res adeò stupendas & insolitas, ut nunquam similes fuerint inspectæ oculisque usurpatæ; velut dedisse visum cæco nato, resuscitasse ad vitam quadriduanum Lazarum defunctum, quorum miraculorum oculati fuere testes præcipue habitatores Jerosolymæ; saturasse quinquies millenos homines in deserto quinque panibus tam parvis, ut illos parvus portare & afferre potuerit puer, quod prorsus à nemine potuit ignorari, cum quinquies milleni hujus rei adfuerint spectatores, ipsis suis oculis intuiti prodigium; hæc scripsisse, hæc evulgasse, hæc palam enuntiasse, locò & tempore, quò hæc omnia patrata sunt? quâ ratione id facere fuissent ausi, nisi asseruissent veritates omninò exploratas, compertas & maximè indubitatas? Judæi, qui maximi erant veritatis ab ipsis annuntiatæ adversarii, quique aliud non quærebant nisi oblectari ipsis, nonnè ipsos arguissent, probròque exposuissent velut maximos orbis impostores? Hæc ratio tam fortiter stringit ut nihil effugii patiatur.

IV. Quartò si consideres, quòd Apostoli & Evangelistæ,

qui literis consignarunt Testamentum, existerint viri simplices, nullaque exculti doctrinâ, quòd nulla fuerint usi vel arte vel dolo, quòd non absconderint humiliationes & opprobria Magistri sui; quòdque nihilominus scripserint res adeò sublimes, omnemque captum intellectûs humani superantes, ut sola prima verba sancti Joannis, *in principio erat Verbum*, & sequentia in stuporem rapuerint maxima mundi ingenia, ipsaque coegerint fateri, quòd impossibile sit ita loqui hominem mortalem. Si consideres, ipsos fuisse viros rudes, nullâ rerum spiritualium intelligentiâ imbutos; nihilominus tradidisse dogmata tam divina, tamque sublimis perfectionis, ut omnes confuderint Philosophos, qui eorum, quæ dicebantur ab ipsis, attingere non poterant cognitionem: si aspicias, fuisse ipsos viros pauperes ac infirmos, nullius existimationis, auctoritatis aut potestatis in mundo, nihilominus annuntiasse veritates tam validas solidasque, ut tota Gentilitatis suffulta ab Imperatoribus potentia duodecim cesserit viris inopibus, sequè edoctæ ab ipsis submiserit legi; hæc omnia optimè arguunt, cunctipotentem fuisse veritatem, quam suo depromebant ex ore, eoquòd hæc ipsâ dissipare potuerint mendacia innumera, & do-

IV. Probatio: Scriptores novi Testamenti erant viri simplices & absque fraude.

V. Pur. Te. cor. cor. me. fari.

dominantes ubivis in mundo errores. Totius mundi conversio miraculorum est maximum, quod exigi possit in veritatis confirmationem.

V. Probatio.
Puritas novi
Testamenti
conservatur
contra innu-
meros adver-
sarios,

V. Quintò longè melius affirmare possum de Testamento novo, quàm tu affirmaveris de antiquo; quòd liber hic divinus videatur quasi omnipotens, qui universo jura det mundo, quique suam semper conservaverit puritatem & integritatem innumeris oppugnatam & obsessam hostibus, mundo, inferno, hæresibus, cunctis passionibus ac inordinatis animi affectibus, cunctisque vitiis.

Siquidem nonnè ipse est, qui publicè arguat omnes errores sæculi, omnes depravatas inclinationes, omnia peccata hominum? Ipse loquitur magnis ac parvis; ipse Monarchas æquè reprehendit ac subditos, & verbis ex hoc libro depromptis majori licèt auctoritate loqui ad ipsos, quàm ipsi ad suos loquuntur subditos; ipse non solum magna objurgat vitia, sed noxas etiam minimas; ipse non tantum statuit leges, quoad externa, quod spectat ad jurisdictionem justitiæ humanæ, sed pertingit usque ad interiora & intima cordis arcana, quod est nonnisi DEI solius. Et cum tantum sibi vendicet jus in cunctos homines, ut prohibeat id illis, cujus maximo tenentur

desiderio, quoque suis rapiuntur inclinationibus; insuper æterna minuetur supplicia sibi reventibus obtemperare: nullus tamen unquam fuit hominum, quamvis potentissimus qui arrogaverit sibi potestatem imponendi ipsi silentium. Quid sibi hoc vult, nisi quòd complectatur veritatem & auctoritatem DEI ipsius.

Nonnè ex altera parte videre fuit innumeras hæreses cunctis sæculis ab inferno excitatas, quæ vel immutare contendebant veritatem Scripturæ in hoc libro contentæ, vel illam in perversum detorquere sensum, ad stabiliendum errores suos super ruinam veritatis? Et videre, quòd reluctantibus in vanum hisce omnibus, suam conservaverit integritatem tam puram, tamque inviolatam, ut ne quidem unicum verbum, nec verbi syllaba fuerit immutata, sed nec unicus veritatis inversus apex? Quid sibi volunt hæc omnia, nisi quòd necessariò esse debeat hæc veritas divina & æterna, quæ ita triumphet de mendacio, à quo nunquam non cunctis sæculis fuerat sævissimè oppugnata?

VI. Sed tandem ut finem imponam sextâ quâdam ratione: Si maxima nobis sit certitudo de veritate Scripturarum veteris Testamenti, quâ ratione minimum oriri nobis possit dubium

VI. Probatio:
Testamentum
novum habet
veritates cl-
aras, pro eo,
quòd verus
non habeat
nisi figuras
circa obscuras.

circa illas, quas complectitur novum Testamentum? Illæ Testamenti veteris sunt involutæ figuris, quibus non parum est obscuritatis; hæ Testamenti novi sunt claræ omnino, nec sunt nisi historia simplex & candida absque affectatione, absque exaggeratione, absque eo, quod minimum invehantur in maximos Jesu Christi inimicos, quorum acta & facta fideliter describunt absque ullo fuce, sine ambagibus ullis. Testamentum vetus non complectitur nisi ænigmata, quorum explanatio plurimum habet difficultatis; novum horum quasi nullum proponit, vel si proponit quoddam, mox illius claram & luculentam affert intelligentiam. Testamentum novum bene haberi ac censi posset pro veteri: bene enim DEUS nobis dare posset Messiam, quin antea promississet ipsum; sed Testamentum vetus non posset accipi pro novo; nam omnes, quas complectitur, promissiones forent inutiles absque actuali adventu Messia. Verum tamen est, quod unum non sit inutile alteri, cum se mutuo conservent, unumque alteri fidele reddat testimonium de veritate ipsius. Antiquum Testamentum dicit: Omnes promissiones, quas

dedit, sunt veræ; nam earum vos videtis executionem in novo. Et hoc dicit: Omnes veritates, quas afferro & offero, sunt verissimæ ac omnino indubitata; siquidem vos videtis, omnia illa, quæ concernunt Messiam, eâ prorsus ratione accidisse, quæ fuerunt prænuntiata & promissa in Testamento veteri. Sic ambo sibi invicem porrigunt manus, & concordant ad confirmandam unam eandemque veritatem; ita, ut amplius dubitari non possit de veritate utriusque, cum amborum eadem prorsus sit ratio.

Verum circa quod ita disceptatis, dicit nobis desuper viator, cum tantam habeatis certitudinem circa veritates Scripturarum veterarum, illæque tam bene concordent. Haud parum admiror, tam concordēs vos esse, & tamen utrumque non profiteri eandem Religionem. Respondetur ipsi: Non nisi id oritur ex eo, quod se invicem non intelligant; veritas enim est in veteri Testamento, & eadem veritas est in novo. Jam veritas non disjungit, sed potius conjungit animos; sed hoc est, quod non intelligatur. Monstrabo vobis hęc, quomodo conveniant, si res bene accipiatur.

ARGU.

ARGUMENTUM.

Quod Judæus & Christianus conveniant, si se invicem benè intelligant, quòdque ambo eandem profiteantur Religionem.

ARTICULUS V.

Verus Judæus & verus Christianus concordant, falsus Judæus & falsus Christianus discordant.

Videtur tantam esse oppositionem Judæum inter & Christianum, ut sibi invicem non cordant, falsità adversentur dies & nox. Christianus recipit veritatem veteris & novi Testamenti; Judæus recipit veritatem veteris duntaxat, & repudiat illam novi. Christianus agnoscit Christum JESUM ceu verum Messiam, illumque ceu suum adorat Deum. Videtur igitur impossibile, ipsos concordari posse.

Nihilominus certissimum est, verum Judæum & verum Christianum concordare tam benè, ut ambo nonnisi eandem profiteantur Religionem: dabo tibi desuper demonstrationem tam evidentem, tamque certam, ut dubitari de ipsa non poteris; quod ut videas, supponendum tibi est, semper inter homines inventos esse bonos & malos. Non omnes Judæi, qui vixerunt labentibus sæculis, fuerunt boni, nec etiam omnes fuerunt mali: dicendum igitur est, semper extitisse veros Judæos, qui veram profitebantur religionem, & falsos Judæos, qui, ut verum clo-

quar, nullam habebant religionem. Idem ergò dicendum de Christianis; quòd nimirum semper veri Christiani & falsi Christiani extiterint in Ecclesia. Relinquamus modò falsos Judæos & falsos Christianos, & loquamur solummodò de veris.

Nonnè verum est, illos veros extitisse Judæos, qui recipiebant legem Dei, & intelligebant Scripturas veteris Testamenti in vero suo sensu? Indubitatum est hoc; veri erant Judæi. Jam lex in vero suo sensu erat figurativa, cum tota consisteret in Prophetiis & promissis; & qui dicit figuram dicit quid aliud, quàm id, quod videtur: figura enim & promissio non sunt propter se ipsas, sed propter quid aliud, quod repræsentant, quòdque sperare faciunt. Nemo inhæret figuræ, quâ sibi faciat satis, sed vult veritatem, quam ipsa significat; nemo etiam satiatur solis promissis, sed vult effectum ejus, quod ipsa spondent. Hoc optimè concludit, veros Judæos, cum semper respexerint figuras veteris Testamenti velut figuras & promissiones, nunquam adhæ-

B b

sisse

fisse soli apparentiæ, nec illi, quod sensibilibus & materialiter exprimebat litera; sed ex transverso harum umbrarum aspexisse bona magis solida, & aliquid spirituale.

Ma. 63.

Et DEus ipse sæpius ingessit illis intelligentiam hanc spiritua-lem, velut quando appellati sunt filii Abraham, id est, filii DEI, cujus Abraham erat figura, & non hominis istius mortalis, qui Abraham nuncupabatur: *Tu enim Pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos; Tu Domine Pater noster, Redemptor noster, à seculo nomen tuum.* Et ex hoc bene intelligebant, filiationem hanc Abrahæ, quæ respiciebat Patrem æcelestem, non se terminasse ad solum populum Israël, sed ad quemlibet, qui acceptus erat Deo, etiam inter Paganos, huncque meritò censeri potuisse filium Abrahæ.

Similiter, quando Scriptura tam frequenter loquitur de circumcissione, veri Judæi bene intelligebant, non esse id, nisi figuram, quæ per abscissionem parvæ cujusdam particulæ carnis, significabat abscissionem vitiorum ab anima. Hinc DEus dicebat

Deut. 10. v. 16.
& 30. v. 6.

illis: *Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius.* Et alibi promittebat illis: *Circumcidet Dominus DEus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum DEum tuum*

Intelligentia
spiritualis est
sæpius ex-
pressa in Scri-
pturis veteris
Testamenti.

in toto corde tuo. Sic de centum aliis locis, ubi clarè videtur, Scripturam exprimere bona spiritua- lia & bona animæ sub figura bonorum temporalium.

Ità omnes veri Judæi qui aspiciabant semper legem & scripturas veteris Testamenti velut figuras aliorum bonorum magis perfectorum, quàm sint illa, quæ cortex indicabat literæ; quando legebant, quòd Messias futurus esset magnus Rex, intelligebant ipsum regnaturum super animas, quæ velut totidem magna sunt regna. Quando legebant, quòd liberaturus esset populum suum è potestate & oppressione inimicorum suorum, intelligebant, ipsum liberaturum se à peccatis suis, quæ lethales inimici erant hominis. Quando promittebatur illis, quòd apportaturus esset suis abundantiam bonorum & honorum, dignitatis & gloriæ, credebant intelligenda esse per hoc bona spiritualia, & dignitates supernaturales. Ecce spiritum & religionem verorum Judæorum. Sed horum pauci erant, qui id cognoscerent; nam plerique falsi erant Judæi, omninò carnales, & omnia sibi dicta materialiter accipientes.

In hac animorum suorum dispositione, cum venisset Messias, veri Judæi non obstupuerunt, quòd non viderent in ipso excellentias & magnificentias corporales,

Veri Judæi
non miraban-
tur videndo
JESUM Chri-
stum; & qua-
re.

rales, nec ex eo, quod nulla illis afferret bona caduca; sed viderunt, quod afferret sibi gratias, quod liberaret corpora à possessione diaboli, & animas à tyrannide peccati. Falsi Judæi, qui carnales erant, exin scandalizabantur & interrogabant: Quis est hic homo, qui blasphematur? quis potest dimittere peccata, nisi solus DEus? sed veri Judæi, qui spirituales erant, agnoverunt ipsum ex hoc Messiam; & hi primi sunt, qui receperunt ipsum antè omnes alios.

Sanctus senex Simeon, qui expectabat à longo tempore redemptionem Israël, cum teneret in templo divinum hunc infantem inter brachia sua, præ gaudio plorans dicebat: *Viderunt oculi mei Salutare tuum*; & petebat dimitti animam suam in pace, non desiderans amplius vivere ab auspicio hoc momento.

Sanctus Petrus & omnes alii Apostoli ac discipuli cum universa multitudo admodum copiosa eorum, qui primitus receperunt Christum Jesum, velut verum promissum Messiam, erant parvus & tenuis grex verorum tunc Judæorum in populo Israël; & hi facti sunt Christiani, absque eo, quod mutarent religionem: id quod clarè verificat propositionem à me prolatam, quod nempe verus Judæus & verus Christianus Religionem ha-

beant unam & eandem: siquidem non nisi eadem religio erat eademque Ecclesia, quæ post longas sollicitationes recipiebat denique effectus, & post ingentem numerum figurarum aspiciebat tandem veritatem.

Si totus populus Israël tantam possedisset felicitatem, ut non nisi ex veris fuisset compositus Judæis, habentibus eandem cum his dispositionem mentis, ipsūque, sicut hi, velut verum absque contradictione recepissent Messiam, factus fuisset transitus tam insensibilis à figura ad veritatem, & à veteri Testamento, quod promittebat, ad novum, quod dabat Messiam, ut dici non potuisset, factam esse aliquam in mundo mutationem Religionis: non nisi una eademque fuisset res Judæum esse, & esse Christianum. Sic cum Judæi & Christiani non nisi eandem professi fuissent Religionem, poterat Judæus, qui desinebat esse sub lege Moysis, affirmare: *Mea religio non finitur, sed perficitur, quia aliud non facit, nisi quod transeat à figura ad veritatem, jamque possideat id, quod expectabat: incepit ipsa cum mundo, nunquam non se pascens & nutriens promissis; non finietur ipsa nisi cum mundo fruens felicitate sibi olim promissâ.*

Quid ergò conciliavit ingentem hanc everisionem, quæ visa est in toto mundo, & integram

Bb 2

tegram

Luc. c. 2.
v. 30.

Veri Judæi receperunt Jesum Christum, & facti sunt Christiani, absque eo, quod mutaverint religionem.

dei
raban-
endo
Chri-
& qua-

Multitudo
falsorum Ju-
dæorum cau-
savit ruinam
religionis
suæ.

gram hanc separationem Religio-
nis Judæorum à religione Chri-
stianorum? Nil aliud, nisi innu-
mera multitudo falsorum Ju-
dæorum, qui intelligentes carna-
liter & materialiter omnia, quæ
exarata sunt de Messia, respue-
runt JESUM Christum, eoquod
in ipso non viderint potentiam
& pompam quandam externam,
quod non expugnaverit & sub-
jugaverit armata manu nationes,
quod non locupletaverit popu-
lum suum bonis caducis. Ma-
gna existimatio, quæ prosequen-
tibus hunc pulverem terræ,
quem manus DEI tam liberaliter
elargitur nationibus barbaris,
reddidit ipsos obstinato animo,
ne reciperent JESUM Christum
pro vero Messia, videntes
ab ipso sibi non communicari
hæc bonorum genera; & quia
ceu verum Messiam non recepe-
runt ipsum, tota periit natio
Judaica, & amplius non habet re-
ligionem; & idèd dixi, nullam
religionem habere omnes falsos
Judæos.

Falsi Christia-
ni non habent
nisi speciem
religionis.

Ipsorum in album recenseo
omnes falsos Christianos, qui
contenti portare nomen Chri-
stiani, & quasdam externas ex-
hibere cæremonias, non absimi-
les illis, quas exhibent & præfe-
runt veri Christiani, credunt
id sufficere ad satisfaciendum
obligationi religionis suæ. Miseri
fanc imitatores ruditatis falso-

rum Judæorum, qui externis tan-
tummodò immorabantur appa-
rentiis! quod erat apprehende-
re non nisi corpus, absque eo,
quod unquam amplecterentur
verum Spiritum religionis. Quid
prodest omnibus falsis Christia-
nis, quod ulterius non prome-
rentes gradum; in exterioribus
tantummodo sistant religionis
exercitiis? Nonne hæc exhiberi
quoque possent ab aliquo Paga-
no vel Atheo, qui propterea ve-
rus Christianus non esset? Verus
Christianus est ille, qui vero in-
dutus & imbutus est religionis
suæ spiritu, in quo consistit ipsius
essentia, & sine quo nihil pror-
sus habet religionis.

Si quæras, quid est verus Spi-
ritus Religionis Christianæ? Est
Spiritus JESU Christi ipsius, qui
non cognoscit ullum verum ma-
lum, quod oporteat odisse, nisi
peccatum solum & unicum; qui
non cognoscit ullum verum ini-
micum, de quo oporteat inqui-
rere & reportare victoriam, nisi
solum peccatum; qui non respi-
cit ullam veram servitutem, quæ
debeat extorquere homini gemitus
ac suspiria, nisi illam solius
peccati. Verus Christianus non
credit, se majus excellentius be-
neficium posse recipere à Messia,
quàm liberari à vero hoc malo,
quod solum conferre illi potest
beatitudinem. Spiritus verorum
Christianorum est Spiritus Mes-
sæ,

Qualis sit spi-
ritus veri
Christiani?

fiæ, quem receperunt, quemque agnoscunt pro Deo suo, qui docet ipsos veras invenire divitias in bonorum omnium caducorum contemptu; verum honorem in humilitate & amore abjectionis; veras & solidas voluptates in cruce & adversitate: Unico verbo habere sensa & desideria omninò contraria illis mundi & omnium mundi asseclarum, est recepisse Messiam usque ad intima cordis sui, & indutum esse vero ipsius Spiritu.

Modus conveniendi inter Judæum & Christianum.

Sed, ô DEUS, quàm exiguus est horum numerus! nam omnes fermè homines vivere volunt spiritu mundi, & omnibus suis

satisfacere propensionibus naturæ, contenti recepisse Christum JESUM, secundum speciem externam, exhibere quandam Religionis suæ apparentiam, cum interim nil habeant Spiritûs aut veritatis in intimo cordis sui. Et ideo velut certissimum assero, omnes falsos Christianos, non magis quàm omnes falsos Judæos ullam habere religionem, tandèmq; ex hoc deduco duo hæc verba: Desinite falsos agere Judæos, desinite falsos agere Christianos, & habebimusambo non plures, quàm unicam solam, eandèmq; religionem.

ARGUMENTUM.

Divina lumina, quæ Christus JESUS attulit in mundum, clarè cunctis hominibus ostendunt, ipsum esse Messiam.

ARTICULUS VI.

QUAMVIS peccatum non exuerit omninò hominem, ratione, ità tamen debilitavit ipsius cognitiones ac lumina, ut nihil quasi amplius illi habeat, quàm quod cognoscat, se esse miserabilem. Intuetur ipse solummodò, quod suam amiserit felicitatem; sed nil aliud conservavit ex illa, quàm confusam quandam cognitionem, quæ gemitibus ipsum obruit, ipsique conciliat inquietum hoc desiderium, quo fertur ad requirendum illam, ubivis locorum: sicut illi, qui nôrunt qui-

dem, se perdidisse rem alicujus momenti; sed ignorant, quid sit, nec ubi perdididerint id, quod quarunt.

Peccatum, postquàm depressit hominem usque ad conditionem bestiarum, cogit ipsum plerasque suas cognitiones bestiarum more è sensibus haurire externis; sed hi non ostendunt ipsi, ubi sit objectum felicitatis, quam quarit, quæque sola ipsum potest exsatiare ac reddere contentum: procul abest, ut hæc detegant ipsi; sed potiùs tantò magis ab-

Miseria hominum regentium se, non nisi cognitione sensuum,

scendant, quanto magis ipsos consulit, quia pro eo, quod ipsum attollant ad cognitionem DEI, qui solus est ipsius felicitas, deprimunt ipsum ad cognitionem rerum sensibilium, quarum ipsi ingerunt amorem in contemptum Dei. Et quia plerique hominum hunc tenent statum, plerique miserabilem ducunt vitam, semper immergi sensibus, sicque affixit creaturis, ut aliam non cognoscant felicitatem, nisi quam affert caducorum possessio bonorum. Nihilominus experiuntur, hanc non esse felicitatem suam, sed tormentum suum, & quanto plus quaerunt sibi hanc viam satisfacere, tanto magis se invenire, unde affligantur.

Qui solo se dirigunt rationis lumine, non sunt beati.

Sapientissimi quique adverterunt fraudem, non immerito per-suasi, quod, cum nobiliores sint bestiis, opus habeant ad satisfaciendum sibi felicitate longè sublimiori, quam sit illa bestiarum. Ecce quare illam non amplius quaerunt in rebus, quæ non nisi exsatiandis idoneæ sunt sensibus; sed aperuerunt oculos lumini rationis, & invenerunt id esse velut solem affixum cælo animæ suæ, cujus radiante splendore dirigere se debeant in inquirendam felicitate suam; & econtra lumen sensuum in comparatione non esse, nisi parvam faculam, quæ portaretur in manibus ad dirigendum se difficulter in media

noctis caligine: affulgente radioso hoc rationis lumine, attolentes se Philosophi supra sensus & omnes res sensibiles, ascenderunt ad cognitionem primi entis, primi alicujus principii, primæ cujusdam veritatis, quam contemplati sunt velut præcipuam felicitatem sui intellectus, qui incomparabiliter majori cum delectatione pascitur veritate, quam corpus escis materialibus.

Sed modus hic cognoscendi Deum solo lumine rationis, paucorum est. Non nisi fuerunt Philosophi, quorum numerus semper admodum exiguus fuit, respectu cæterorum hominum, qui se solis dirigebant sensibus, quique majorem, quam animalia, non habebant divinitatis cognitionem: quin & hæc cognitio sapientum, quos respiciebant velut intelligentias cæteris hominibus superiores, erat sicca, sterilis, & millenis involuta obscuritatibus ac tenebris: ita ut, cum illis non conferret possessionem puram, integram & certam veritatis, quam non nisi à longè paulisper conspiciendam præbebat ipsis, etiam non nisi semiplenâ & dimidiata satisfactione ipsorum demulceret intellectum. Et nihilominus sufficiens hæc fuit, ut induceret ipsos ad contemptum voluptatum carnalium, quia hanc longè majori

Non perveni-
tur ad felicitatem solo rationis lumine.

rem degustabant in studiis suæ, cui vacabant, Philosophiæ. Verum quidem est, hos meliorem arripuisse viam, ad obtinendum veram felicitatem, quam præcedentes; nihilominus illuc hæc viâ, utpote minus adhuc abjectâ, perungere non valebant.

Hinc DEus tactus commiseratione ignorantia & imbecillitatis humanæ, mittere illis voluit divinum e cælo lumen ut sese ostenderet & demonstraret ipsis: Et hoc lumen est fides infinitâ ratione transcendens sensus & racionem. Verum est, obscurum esse hoc lumen, est tamen certum, non ostendit quidem clarè divinitatem; facit tamen cognoscere illam admirabili cum certitudine. Siquidem cum sit quidam radius egressus ex oculis primæ veritatis, ad docendum nos, quòd DEus sit, quòd creati nos simus ab illo, quòdque is esse debeat æterna possessio eorum, qui famulantur ipsi, impossibile est, ut ipsa nos decipiat in cognitione, quam nobis suppeditat de existentia, essentia & excellentiis DEI.

O quam multò nobilior & excellentior est hic modus cognoscendi DEum, omnibus illis Philosophorum! non solummodò quia certior est, purior & facilior; sed etiam, quia latior & amplior est, cum non tantum se

extendat ad sapientes & scientiis excultos, sed se omnibus communicet indiscriminatim; quin & simplicissimi sapius hinc sint magis illuminati sapientibus mundi, & magis ignari magnis Doctoribus doctiores.

Divinum fidei lumen paulisper quidem conspiciendum præbuit mundo, cunctis sæculis adventum Messia præcedentibus. Sed id non erat nisi velut aurora spissis adhuc involuta nubibus: volo dicere, omnem cognitionem DEI, quam fides communicabat antiquis, sic implicatam fuisse, umbris & figuris veteris Testamenti, ut una ex parte lumen suum latius non extenderet, nisi in solam Judæam: *Notus in Judæa DEus; totus reliquus orbis privatus illò manebat: & ex altera parte, cognitio, quam illis largiebatur de divinitate, quamvis certissima, tam tenuis tamen, tamque confusa esset, ut quasi nihil de præcipuis nostris mysteriis constaret ipsis. Illud Trinitatis, illud sanctissimæ Eucharistiæ, illud Incarnationis secundæ Personæ Trinitatis, & pleraque alia ita abscondita fuerant sub velo figurarum suarum, ut vix sapientissimi & doctissimi quique ex transcurso & strictim illa paulisper possent intueri. Nil aliud constabat ipsis, nisi quòd DEus esset supremus Dominus, qui solus velit adorari,*

Quàm obscura fuerit fides & limitata in veteri Testamento.

Psalm. 75. v. 2.

Quàm præclara res sit dirigere se lumine & cognitione supernaturali.

rari, qui suam exerceat providentiam in vitam hominum, quique missurus sit ipsis aliquem Redemptorem.

Nihilominus has inter tenebras, promissiones habebant certas ac divino firmatas testimonio, quod visuri essent aliquando oriri lumen magnum, allaturam sibi plenum veritatis diem:

Isa, 9.

Populus, qui habitat in tenebris, vidit

Jam mundus *lucem magnam, habitantibus in regione* est illuminatus, unde patet, ipsum accepisse Messiam promissum, qui debebat esse lux mundi.

Joel, 2, v. 23.

Populus, qui habitat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. Quis dubitare potest, quin divinum hoc lumen, quod DEUS promiserat illis, fuerit Messias? Nonne ipse est, qui alibi nuncupatur Doctor justitiae? *Dabo vobis Doctorem justitiae; & cui sit ambigendi locus, quin Doctor hic & lumen hoc sit JESUS CHRISTUS, qui ipsemet dixit: Ego sum lux mundi; quique tam clarè ostendit, nihil esse tam cœcum, quod non videat admirabiles effectus ab apparitione magni hujus luminis in universo mundo productos.*

Nonne manifestè videtur, cognitionem DEI non amplius esse inclusam, sicut olim in parvo mundi angulo, dum reliqua omnia tumulata fuerant tenebris idololatriæ? Sed quasi non amplius esse regionem in orbe, ubi verus DEUS non cognoscatur: quis efficere potuit ingentem hanc mutationem? nisi quod Doctor justitiae, qui promissus

erat, venerit; quodque populi, qui habitabant in regione umbrae mortis, viderint lucem magnam suis affulgentem oculis?

Nonne insuper conspicitur, nullam modò amplius esse cognitionem confusam & figuris involutam; sed clarè omnino explicatam, detectam, & patefactam? Siquidem fatendum est, homines modò sine comparatione magis esse illuminatos in sublimissimis mysteriis religionis, quam fuerint omni tempore veteris Testamenti: cognoscunt enim modò distinctè adorandum mysterium Trinitatis; noverunt distinctionem divinarum Personarum, quodque secunda fuerit incarnata pro salute nostra; sunt probè informati de perfectionibus divinitatis; penetrant etiam intellectu admirandam directionem Spiritus DEI, & diversos effectus, quos gratia ipsius producit in animabus nostris. Quis ergò effudit splendorem hunc magnum, qui antè non videbatur, nisi quod Messias, divinum hoc lumen è cœlo nobis à Deo promissum descenderit in terras? *Habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis.*

Nonne ulterius patet, non solum magna ingenia & homines eruditos depositarios esse scientiae salutis, sed illam frequentius communicari magis simplicibus?

Altissimè religionis veritates modò valde clarè cognoscuntur per lumen Jesu Christi.

Animæ simplices sunt sapius magis illustratae.

bus? Quot videre erat simplices puellas cunctis sæculis post adventum JESU Christi? Et quot viros nullâ scientiâ acquisitâ imbutos, qui adedò illustrati fuerunt in profundissimis Divinitatis arcanis, ut maximis Doctõribus maximæ fuerint admirationi? quoties ab his consulti fuere velut oracula, docentes illos, quod homo mortalis docere non potuisset? unde venit hoc? nisi quòd Verbum caro factum sit, quòdque hæc æterna Patris Sapiencia uti videtur, sibi complacuerit incarnari hæc ratione in simplicibus, qui non nisi videbantur caro esse & stupiditas, quantum ad omnes res humanas: & hæc est executio

Luc 3. v. 6. promissionis à Deo factæ: *Videbit omnis caro Salutare DEI.*

Plures bonæ animæ fruuntur privilegio Moysis, loquendi familiariter cum Deo, velut cum amico suo.

Sed quod magis stupendum est, quòdque nullum relinquere deberet ambigendi locum, quòd verè Deus unigenitum suum miserit Filium, ut carnem assumeret humanam, seque redderet hominibus familiarem: Nonnè videmus magnum illud privilegium, quod ità deprædicatum est in Moysè, loquendi familiariter cum Deo, velut loquitur amicus cum amico suo, post adventum JESU Christi, extensum & dilatatum esse ad innumeras bonas animas orationi mentali addictas? Siquidem illæ agunt cum Deo tam familiariter, tam-

que confidenter, ut amicorum sit nullus, qui tantâ sinceritate, tanto candore aperiat cor suum amicorum suorum optimo, sicut Deo complacet manifestare se illis per copiosa lumina infusa, quæ pro illis tantum habent certitudinis, quantum habent revelationes fidei pro tota Ecclesia; cum de ipsis dubitare non possint. Et quod speciale est, magisque admirandum in hisce manifestationibus, quas Deus exhibet de se ipso intimis suis amicis in oratione, est, quòd hæc certitudini fidei adjungant evidentiam quandam & claritatem, à qua producantur in cordibus ipsarum voluptates & consolationes ineffabiles, quæ transcendant omnes hominum cogitationes, quæ explanari non possint verbis, quæque veræ sint prægustationes voluptatum illarum, quæ sanctè inebriant Beatos, qui clarè intuentur faciem DEI in cœlis.

Unde id oritur? nisi quòd Verbum caro factum sit, quòdque habitet in nobis, ut sit nostrum lumen, utque ubivis gentium, ubi est, magnum diffundat splendorem cognitionis Dei, quam nemo nisi id solum dare possit. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus. Hæc argumenta tam sunt manifesta, ut non videam, quâ ratione quis

Joan. I.

Cc

ratio-

rationis compos de iis valeat dubitare : Ecce tamen tibi adhuc alia, quæ validiora mihi videntur, magisque constringentia!

ARGUMENTUM.

Scientia practica Christianorum efficaciter probat cunctis hominibus in mundo, Jesum Christum verum esse Messiam.

ARTICULUS VII.

LOquor hic de scientia practica Christianorum, quæ non nisi paucissimis est perspecta; nam plerique possident tantum speculativam, contenti scientiâ veritatum sublimium à Christo Jesu edoctrarum, quibûs ipsi suum præbeant assensum. Sed tantum abest, quòd illas redigant in opus, ut ferè semper agant potius contrarium illi, quod nòrunt, quòdque edocti sunt in religione, quam profitentur. Jam id genus scientiæ purè speculativæ & à praxi falsorum Christianorum oppugnata, non tantum nil habent efficaciz ad persuadendum mundo adventum Messiz, & veritatem Religionis Christianæ, sed potius dissuadet utrumque, & effectus affectûsque prorsus contrarios aspicientium imprimis animis. Libenter igitur obducerem velum oblivinis æternæ, ad abscondendam illam cognitioni cunctorum hominum, velut probrum & dedecus Religionis Christianæ.

Sed verba duntaxat facio de scientia practica parvi gregis ve-

rorum Christianorum: hæc tam mirabilis mihi videtur, tam sublimis, tam fortis & efficax, ut sola illius consideratio convincere debeat animos maximè protervos & obfirmatos. Nam si consideremus, quò scientiæ genere repleat Jesus Christus animas doctrinam suam recipientes, hæc eousque transcendit omnia lumina & omnes cognitiones rationis humanæ, ut hæc non solum ipsam non possit comprehendere, sed potius primo ipsius intuitu confundantur, obtundantur & quasi stupefiant.

Congrega mihi acutissima quæque ingenia Philosophorum, quos coluit antiquitas; & dic illis, quòd thesaurus in paupertate pateat absconditus, qui majoris sit possessione omnium regnorum mundi; quòdque ut summas quis acquirat divitias, & possideat omnia, oporteat omnes mundi divitias calcare plantis & contemnere. Dic illis, quòd separatio universalis ab omnibus creaturis incomparabiliter majori sit solatio, quam ipsorum fruitio, quòdque,

Christiani
ignavi dissuadent religionem.

Pulchritudo scientiæ veterum Christianorum.
Philosophi nihil capiunt in scientia practica Jesu Christi.

que, ut beatus & contentus quis vivat, oporteat suis subtrahere sensibus omnia, in quibus hi suam collocant delectationem, & insuper portare continuò mortificationem crucis in suo corpore, imò & crucem interiorem pœnolissimarum desolationum in sua anima; quòdque in his omnibus inveniatur campus tam jucundarum, tamque solidarum voluptatum, ut longè transcendat id omne, quidquid voluptuosissimi quique in suis voluptatibus degustare possunt jucunditatis.

Adjicias insuper, summum gloriæ apicem latere in profundissima contemptus abyisso; quòdque melius sit hic subesse, quàm elevatum sedere super folia, quod oblivione sepeliri, & quasi annihilari cognitioni cunctorum hominum, itatus sit melior, conditiòque felicior, quàm omni præconiorum genere per orbem extolli universum. Dic illis denique, nihil suavius esse in vita recordatione & spe mortis, nihilque majus, nihil desiderabilius esse quàm sacrificare vitam suam pro Deo. Omnem move lapidem, ut probes illis omnes has veritates validissimis & efficacissimis quibusque, quas invenire poteris, rationibus, & soli huic operæ annos impende integros; an evicturum te credis, ut persuadeas id illis? imò potius vi-

debis, ipsos majori contra te irratatos contumaciâ, accepturos te velut stolidum & mentis impotem, utpote talia proferentem, quæ omni sanæ adversentur rationi.

Et nihilominus JESUS CHRISTUS JESUS CHRISTUS persuasit ea omnia ingeniis tum persuasit doctrinam suam, proponendò duntaxat ipsam, quamvis omnibus sensibus adversam. magnis, tum mediocribus, tum innumeræ hominum multitudi- ni diversorum statuum ac conditionum; & hoc paucis admodum verbis, nudis, simplicibus, & absque allegatione alicujus rationis. Quis induxit ipsos ad recipiendum doctrinam sensibus adèò contrariam, & omni humanæ rationi adversantem? unde oriuntur hæc lumina ab universali opinione hominum adèò remota & aliena, quæque illa veteris Testamenti omnia, quamvis à magnis Prophetis edocta, attingere nunquam potuerunt?

Quantam igitur auctoritatem, quantam potestatem occultam habeat ille, qui ejusdem receptionem usque in cordis penetralia persuadere potuit, proponendò solummodò illam? Quis diffitebitur, hunc esse non posse hominem quendam vulgarem, nec solummodò magnum quendam Prophetam, sed esse oportere ipsummet Deum Prophetarum? Et ecce tibi primum, quod admirabile invenio in doctrina, quam veri Christiani receperunt à JESU CHRISTO: potuisse nimirum ipsam

comprehendere, ipsius accuratè observasse pulchritudinem, ipsam adamasse, ac firmiter eidem adhæsisse, ubi primum fuit proposita: hoc prodigium est, quod omni consideranti obstupescendum prorsus videbitur.

Secundùm adhuc magis admirabile est, quòd reddiderit hanc scientiam practicam, & roboraverit imbecillitatem humanam in innumerabili multitudine hominum, diversorum statuum & conditionum, ut vivere possent juxtà præscriptum hujus doctrinæ, in statu tam sublimi & superante vires naturæ, ut velut totidem æstimari possent miracula. Quantos videre fuit Monarchas, sua ad plantas prosternentes diademata, ut amplecterentur cum gaudio altissimæ paupertatis thesaurum, in qua pretiosius quid aspexerunt, omnibus mundi gazis & divitiis: Aliquem Carolomannum in Francia, aliquem Sachisium, Regem in Longobardia, aliquem Isaac Comcennum Imperatorem in Oriente, aliquem Lotharium Imperatorem in Occidente, aliquem Veremundum in Hispania, tantosque alios, quorum abundè meminerunt historiæ.

Quantæ subièrunt oculorum aciem personæ, conditione & corporis constitutione admodùm fluxæ, molles, imbelles, quæ è medio voluptatum abundanter

sibi à mundo instructarum sese proripuerunt, ut profiterentur hic in Eremito; alter in Asceterio vitam omninò crucifixam in austerrimæ pœnitentiæ rigore; confitentes etiam, se plus hic invenisse solatii, quàm in omnibus voluptatibus mundi? Et visi sunt vivere in hoc statu adè contenti ac consolati, tantòque delibuti gaudio, ut invidiam cierent iis, qui vel maximè aucupantur sensuum voluptates.

Et quot extitère alii qui gloriâ & honore circumfusos se videntes in sæculo, harum fastidiò affecti sunt vanitatum; & quia sine comparatione quid majus contineri credebant in contemptu, voluntariè sese abjectos reddiderunt in domo Dei; & hi quidem recedendò solum mutato nomine in regiones incognitas, uti sanctus quispiam Alexius; alii totos vivos sese tumulando in spelæa horrida, ut sese absconderent, & quasi annihilarent cognitioni hominum, ubi nonnisi cum morte faciebant verba & cum cogitationibus æternitatis? Et hi, quibus se præbebat occasio, sacrificandi vitam suam pro Deo, veluti Martyres, concurrerunt majori cum gaudio ad torturam, quàm ad torum, majori cum júbilo supplicia, quàm ad nuptiarum illicia. Hæ non sunt imaginationes & ideæ in aère; sunt veritates omninò palpabiles, quarum

Exempla magnorum Principum doctrinam Evangelii in opus redigentium.

Plurimi fugerunt gloriam, ut quærent contemptum.

rum nunquam ab adventu Jesu Christi defuerunt exempla.

Mirabilis effectus adventus Messiae.

Quid dicere potest mundus, videns scientiam hanc practicam verorum Christianorum, quæ pudore suffundit sapientissimos quosque, & terrore percellit maximè generosos? Unde est, ejusmodi sensa, similes praxes, paria exercitia non conspici, nisi in sola religione Christiana? Nam in cunctis cæteris religionibus conspicitur nec unicum. Et inter Judæos toto tempore veteris Testamenti, quamvis veram haberint religionem, quasi nec unus, nisi pauci admodum Prophetae, & hi rarissimè ejusmodi quid operati sunt: sed in religione Christiana totas legiones ejusmodi Heroum cunctis licebat sæculis intueri. Hoc nonne luculentissimè probat, quòd Verbum caro factum sit, quòdque verè venerit Messias ad nos instruendos? eoquòd similia facta non sint, nisi postquam Filius Dei carne nostrâ indutus est mortali, ad ostendendum se oculis hominum pauperem, afflictum, contemptum, solitarium, calamitatibus oppressum, & denique confixum cruci, ubi propriam suam vitam sacrificare voluit & mori ex hominum amore. Nonnisi à tempore hoc ii omnes & soli, qui probe ipsum agnoverunt, quique ipsius spiritum, ipsius dogmata, ipsius sensa usque

ad intima cordium suorum receperunt penetralia, maximas cæperunt intueri, pulchritudines in horroribus summis, quos Verbum incarnatum sanctificavit, & divinos quasi reddidit in Persona sua.

Perpende tecum ipse, quis unquam comprehendere potuisset ejusmodi doctrinam; & posito, quòd comprehendere potuisset, quis unquam illam amasset, quis affici erga ipsum potuisset? Et posito etiam hoc amore & affectu, cui probatio evidens adventus Messiae. unquam fuisset tantum roboris ac animi, ut ejusmodi moliretur opera, nisi fuisset roboratus à virtute quadam divina, quæ infinità ratione excedit omnem illam naturæ? Hoc unicum si bene perpendatur judicio quodam sano & ab omni inordinata propensione libero. Nonnè evidentissimè convincit, quòd Jesus Christus, qui operatus est hæc prodigia, non fuerit nudus & simplex homo, sed quòd portaverit divinitatem sub humana apparentia absconditam, adeoque extiterit verus à Deo promissus Messias? Sanè imbecillitas nostra humana nunquam indutam se vidisset virtute tam divina tamque potenti, nisi omnipotentia Verbi Dei induta fuisset nostrâ imbecillitate humanâ. Quid dicitis ad hæc, vos Judæi?

Nôsse percuperem, an alter ille, quem expectatis, fictitius Messias, quique

qui que venturus sit, uti dicitis, velut Rex magnus summa cum potentia ac majestate, ut imperet & jura det omnibus Monarchis mundi; qui pro arbitrio dispositurus sit, uti putatis, cum omnibus thesauris terræ, quos in suis habebit manibus; qui que impleturus sit, uti speratis, populum suum divitiis, honoribus, consolationibus, & omnis generis temporaneis prosperitatibus; percuferem nosse, an non potius arrepturus sit medium & viam damnandi, quam salvandi homines?

Existimatus
Messias Judæ-
orum eâ ratio-
ne, quâ ipsum
expectant,
potius dam-
naret quam
salvaret ho-
mines.

Anne hoc esset morbo mederi avaritiæ, quæ omnium origo est malorum, si bonis temporalibus repletet homines? imò hoc potius foret nutrimentum & escam suppeditare ipsorum concupiscentiæ: Et quando uni soli omnia dedisset mundi bona, non satiasset adhuc inextinguibile illius, quò accenditur, habendi desiderium. Si tamen omnia hæc contulisset uni soli, quid conferendum ipsi restaret aliis?

Anne hoc esset remedium apponere ardentissimæ feбри, quâ succenduntur voluptuosi, si magis adhuc succenderet ipsorum concupiscentiam fruitione voluptatum sensualium? quis diffitebitur, quòd potius hoc foret in bruta convertere animas, illasque reddere ineptas elevandi se ad ad Deum? quòdque commentitius hic Messias, qui per viam

hanc deduceret homines, ipsos potius ageret in ruinam, quam dirigeret ad salutem?

Anne hoc quoque foret medicamentum insigne ad sanandum infirmitatem ambitionis humanæ, quæ satiari omninò non potest, si conferret ipsis honores, si illustres redderet illos splendore gloriæ, si attolleret ipsos ad solia, supra cæterorum verticem hominum? Verùm si existimatus vester Messias hæc ratione felicitatem conferre vellet hominibus, quam veniret allatum illis, quotnam ex illis reddere posset felices? Nonne videtis unicum solum, quem attolleret super alios, ab eo duntaxat felicitandum, vel ad summum tenuem omninò ipsorum numerum, quorum verticibus sua decerneret diademata, quorum manibus sua consignaret imperia, dum interim relinqueret cæteros omnes in sua miseria. Manifestum prorsus est, hæc esse impossibilia.

Ex hoc optimè deducitur, omnia bona, omnes prærogativas, omnes prosperitates, quas Scripturæ promittunt vobis in adventu Messias, intelligi non posse de temporalibus & materialibus, sed necessariò intelligendas esse de spiritualibus. Quantùm ergò volueritis philosophamini, ut efformetis vobis alium Messiam iuxtà idæam & imaginationem vestram, qui veniet e cælo in terram,

ram,

ram, ut obeat officium Salvatoris hominum; excogitare poteritis nullum, qui magis congrua, magisque efficacia arripere possit media, quam arripuerit Christus Jesus, ad expellendum e mundo peccatum, ad liberandum homines à servitute vitiorum, & pravorum affectuum, ad deducendum illos cum securitate in viam salutis; & unico verbo ad reparandum perfectissimè omnes ruinas, quas natura subiit humana per lapsum primi hominis: Et consequenter, absque eo, quòd vosmet ipsos decipiatis, imaginari non potestis verbis, alium expectandum esse Messiam.

Duo Rabbini, qui audiebant hæc omnia, probè videbant, illa esse tam rationi congrua, tamque plausu digna, ut non haberent, quod contradicerent: nihilominus, quia præoccupati erant aversione horrendà, quam omnes in-

felicitis istius nationis homines nunquam non sentiunt & fovent in corde suo contra Christum Jesum, cujus solum nomen ipsis est intolerabile, nullum exhiberunt signum, omnes has tam efficaces rationes vel minimum quid commotionis reliquisse in cordibus suis; nisi quòd eandem conceperint animo curiositatem, quam sapientes Areopagi conceperunt prædicante ipsis sancto Paulo resurrectionem mortuorum, quæ ipsis res erat inaudita, quamque æstimabant impossibilem: citrà id, quòd vel approbarent, vel damnarent, dixerunt illi: Audiemus te de hoc iterum. Hi quoque demonstrarent nobis desiderium aliam hac super re instituendi Consultationem: promissio desuper est facta, diesque determinatus, & Consultatio fuit sequens.

CONSULTATIO VII.

De Consolatione illorum, qui profitentur Religionem Christianam.

Differentia inter cæcitatem corporalem & spiritualem.

Quid prodest cæco portare in manibus facem? alios quidem illuminare potest, sed seipsum illuminare non potest. Cæcitas spiritualis in hoc pejus habet, quam corporalis, quòd ille, qui cæcus est corpore, bene id nôrit; cæci-

tas ipsius & tenebræ extorquent ipsi gemitus; sed ille, qui cæcus est spiritu, non novit, nec cernit illud, adeoque non conqueritur, sed potius suam amat cæcitatem, hancque credit ingentem esse lucem: Et hoc cæcitatibus ipsius est summa miseria.

Ecce